



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus II. De Constitutionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](#)



## TITVLVS II. De Constitutionibus.

**G. & C.** Us Humantum omne, quō utimur, scriptō conflat aut non scriptō, can. Jus generale 2. diss. 1. & §. Constat. 6. Instit. de J. N.

Scriptum sunt Constitutiones five Leges. Non Scriptum Confucetudo: qua quia recentior Lege, & huic ferè succedanza est, can. Confucetudo 5. diss. 1. ei Constitutiones five Leges, tanquam potior ac prior Humani Juris pars, præmittuntur, & Catholica Fidei fundamento, præcedenti jacto, præsenti Rubricā subiiciuntur.

### ARTICULUS I. De Constitutionis seu Legis natura.

#### S U M M A R I U M.

1. Constitutionis nomine hic venit Lex.
2. Legis etymon ac definitio.
3. Conditiones ad eam requisita ex parte Conditoris.
4. Differentia Legis & Consilio & Precepto.
5. Lex esse debet honesta, saltem ex fine,
6. Juxta,
7. Possibilitate secundum naturam,
8. Tempori locoque conveniens,
9. Necessaria vel utilis,
10. Ipsi Communitati,

11. Manifesta seu publicē proposita,
12. Et clara,
13. Dubia legis exigua vis est.
14. Lex exigit fidelitatem.

**C** Onstitutionis nomen, licet aliquando, sed minūs propriè, sumatur pro lege solum Particulari, tam Civili quam Ecclesiastica, c. Cum omnes 6. c. Quia in Ecclesiasticis 7. c. Ex parte ita, propriè tamen denotat legem Universalem, aliquando Imperiale Summa diss. 10. & l. i. ff. de Constitutione Principi, aliquando & hodie usitatis Ecclesiastica, c. Quoniam 3. &c. 1. in 6. Propositā autem Rubricā sumitur latissimè pro quacunque Lege, five Communi five Municipalī, ut illi subiectos textus percurrenti plenè constabat.

Legis etymon non idem omnibus est. Isidorus à Legendō eam derivat, Lib. 5. Etymolog. cap. 10. quod agenda vitandave legenti exhibeat. M. T. Cicerō à Deligendo, Lib. 2. de Nat. Deor. quod ad recte vivendi ulsum eligat ac prononcet aptiora. D. Thomas à Ligando l. 2. q. 90. art. 1. quod subditos liget, & ad Iūi obseruantiam adstringat. Undecunque sortita appellationem sit, à Clemente Alexandrino Stromat. Lib. 1. Regula justi & injusti, & à Doctore Angelico cit. q. 90. art. 4. explicatiū esse dicitur Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatī habet, promulgata. Senus est: quod lex fit ra-

sit rationalitas dispositio & imperium, quod promulgans superior sibi subjecta communitatem obligat ad aliquid faciendum vel omittendum, vel etiam aliquid permittit in bonum ipsius communitatis.

3. Ad eius constitutionem ex parte Conditoris quatuor exiguntur. Primum est potestas, quâ subditis imponere obligationem, eosque ad impositione executionem valeat compellere, S. Thomas q. cit. art. 3. legem procedere afferens ab eo, qui totius multitudinis sive communitatis curam habet. Alterum est actus intellectus, quô is judicet id, quod præcipit vel prohibet, congruere Republica & expedire, ut ab omnibus observetur. Tertium actus Voluntatis, quod id, quod publicè expedire judicat, amplectatur & velit à subditis observari. Postremum, ejus imperium, sive subditis facta manifestatio voluntatis eos obligantis, cit. Doctor Angelicus art. 1. & Suarez Lib. 1. de LL cap. 4. n. 2.

Sic declarata Lex, licet commune aliquid habeat cum Consilio & Præcepto; cùm per ista quoque ad recte operandum perinde ut per legem instruamur aedirigamus: ab utroque tamen multum differt; quod neque Consilio neque Præcepto semper ita instruamur, tanquam ab actu Superioris ad aliquid obligantibus in bonum totius communitatis; cùm Consilium ab inferiori & æquali procedere valeat: & id, quod eò suaderet faciendi: & quod dissuadetur, omittendi obligationem non inducat: Præceptum autem sive mandatum à Superiori quidem proficiatur, & afferat obligationem, ferè tamen non respiciat communitatem & bonum commune: neque legis instar perpetuum sit, sed præcipientis morte expiret, Sylvester V. Mandum n. 3. Menoch. de Arbitr. jud. Lib.

1. q. 69. n. 4. Sanchez Lib. 8. de Matri. disp. 28. n. 47. & cit. Suarez cap. 10. n. 9. Accedit; quod præceptum proximè ipsas personas subditas, quarum offibus adharet: lex autem immediatè locum sive territorium legislatoris afficiat, ex mente cit. Suarez de Censuris disp. 5. f. 5. n. 14.

Porro Legem quamcunque, ut obligationem inducat, rationabilem esse vel maximè oportere, perspicuum est ex ipsa ejus definitione. Talis autem humana Lex procul dubio erit, si infraest si qualitatibus enumeratis ab Isidoro Lib. 2. Etymolog. cap. 10. & relatis can.

2. disp. 4. cuius tenor est, Erit autem Lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum Patria consuetudinem loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullò privato commodò, sed pro communi civium utilitate conscripta. Erit autem Lex primò honesta, siue ut can. Confutatio s. disp. 1. dicitur, Ratione constabit, Religioni conveniet & disciplina congruet, si veretur circa materiam honestam, nihil turpe & bonis moribus repugnans præcipiendo; tale enim quidpiam si præciperet, non utilis sed noxia foret communitatì, quam depravaret; atque idcirco legis obligationem inducentis vim non haberet, secundum D. Augustinum Lib. 9. de Civitate cap. 21. ubi Non, inquit, jura dicenda vel putanda sunt iniqua hominum constituta: & laudatum Doctorem Angelicum, tales leges non obligare in conscientia, disertè afferentem cit. art. 4. Ratio est; quia hujusmodi leges adversantur Juri Naturali, id, quod in honestum ac turpe est, prohibenti, juxta dicta in Proemio n. 20. quod abrogare eive derogare, contrarium præcipiendo,

K 3 huma-

humanus legislator tanquam inferior non potest, can. Inferior 4. disp. 21. &c. Cum inferior 16. de Majorit. eamque ob caufam de facto legi, quæ Juri Naturali contrarium præcipit, recte non obeditur, Alter. cap. 5. V. 29. sicut non obtemperatur Proconfuli, præcipienti contrarium mandato Imperatoris, ut scitè arguit S. Augustinus de Verbis Domini Serm. 6. cap. 8.

Neque Legi, in honestum ac turpe aliquid præcipienti, patrocinant exempla legum Imperialium, permittentium præscriptionem cum malafide, I. Unic. C. de Uſucap. transform. & §. Diutinam 12. Institut de Uſucap. Usuras lucratorias I. Eos qui 26. &c. C. de Uſuris. Concupinatum, l. 1. &c. ff. de Concupinis & aliquando adulteria in flagranti deprehensa cædem non plectentium, I. Patri 20. I. Quod ait 23. ff. ad L. Jul. de Adult. Non, inquam, exempla hæc patrocinantur Legum in honestati partim; quia ejusmodi actus Jure Naturali inhibitios LL. cito. conditores non præceperunt vel approbârunt: Sed eos tanquam minora mala permittendò & non recindendò, ad mala majora evitanda tolerârunt, ut latè explicat Petr. Barbosa in Rubr. ff. Soluto matrim. p. 2. à n. 10. propter quem finem, si aliter obtineri non posse judicetur, minora mala permittere sive tollere, utique Rationi conveniens est atque honestum: partim vero; quia ejusmodi legum Civilium, mala quedam ex justa causa permittentium, non paucæ, quod mortalibus ad sequiora & terrena in dies prioribus, peccandi non occasio duntaxat, sed fomentum esse inciperent, à SS. Canonibus cum tempore sunt correæ, cit. Suarez Lib. 3. cap. 12. n. 6.

Secundò *Juſta* lex erit, si obſeruer æqualitatem proportionis, respicientis vires & facultates subditorum: quam quæ non obſervant, violentias potius

quæ leges appellat cit. S. Thomas q. 98. art. 4. Ex hac certè cauſa à DD. merito reprobantur, quibus, nullâ juſta cauſâ exigente inter liberos statuitur discrimen, comunita onera aliis ablata, aliis duplicantur, Panormit. in c. Pervenit 2. de Immunit. n. 16. & Castro de Lege Pænali Lib. 1. docum. 5. vel ordinariis exactionibus pauperes & divites æqualiter gravantur, cit. Suarez Lib. 1. cap. 9. n. 11. aut valor monetae, frumenti pretium &c. ita taxantur, ut à comunitatis vel hanc constitutibus aliquibus tantum subditis sint obſervanda, Valquez disp. 155. cap. 1.

Tertiò, Possibilis secundum natu-  
ram erit lex, si spectata fragilitate & com-  
muni hominum conditione, ejus obser-  
vatio sperari prudenter possit saltem à  
majori parte comunitatis: cujusmodi  
non esset, quæ Sacramentorum Peniten-  
tiae & Eucharistie perceptionem quotidiana-  
m, aut etiam hebdomadariam omnibus  
indiscriminatum, vel Quadragesimalē  
jejunium pueris quoque & tenib[us],  
vel in pane & aqua præciparet, Suarez  
I. cit. n. 17.

Quartò, Secundum Confuetudinem  
patriæ, temporis locisque convenientis eadem  
erit, si honestæ & loco, pro quo fer-  
tur, utili confuetudini non adversetur,  
eámque præsentis temporis circumstan-  
tiae admittant; cum enim nec omni loco,  
nec omni tempori eadem actiones  
congruant, loci & temporis circum-  
stantiae in omni lege, actionem aliquam  
comunitati præcipiente vel prohiben-  
te, ab ejus conditore præ oculis habendæ  
sunt, ex mente S. Augustini Lib. 3. Con-  
fess. cap. 37. & cit. Suarez cap. 9. n.  
17. ubi hic Doctor notabiliter advertit,  
ejusmodi circumstantiarum ponderatio-  
ne deprehendi, an lege præcepta vel pro-  
hibita actio moraliter possibilis sit. Ho-  
nesta, inquam; quia confuetudo inho-  
nesta in-

nefta inutilis vel perniciofa: imò & uti-  
lis, si mutatis rerum circumstantiis ta-  
lis esse definit, lego corrigenda potius  
vel omnino tollenda est, quā obser-  
vanda à legis conditore Suarez *l. cit.* &  
*Barbola in can. 2. cit. n. 6.*

**9.** Quinto, *necessaria vel utilis* erit lex,  
si ad malum aliquod vel incommodeum  
impediendum tollendumve, vel bonum  
aut emolumentum promovendum con-  
ducat. Ratio hujus conditionis est; quia  
lex inducit obligationem & onus: qua  
rationabiliter non imponuntur, nisi po-  
sciente necessitate vel utilitate suadente,  
*arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Cui  
autem necessaria vel utilis esse lex debeat,  
explicat Isidorus *can. cit. in fine. exigens.*  
*ut nullō solū privatō commodō*, sed  
pro communi utilitate sit conscripta. Ra-  
tio est; quia lex est praeceptum commune,  
*l. i. ff. de LL.* & propterea, sicut ab eo  
tantum, qui curam communitatis habet,  
istiusque bonum procurare ex officio te-  
netur, communitatim imponitur, *l. Jura*  
*8. ff. de LL.* & *Proem. De ceteral.* quorum  
locorum priori Ulpianus ICTus jura non  
in singulas personas sed generaliter con-  
stituit: posteriori Gregorius Papa, Le-  
gem prodi ait, ut eā tanquam *Juris Re-  
gulā ipsum genu humanum informetur,*  
*ut honestē virat, alterum non ledat, jus*  
*fuum cuique tribuat.* Sic etiam, non  
tam pro privato quā pro communi bo-  
no & Republicā utilitate fertur, *Glossa*  
*in l. i. cit.*

**10.** Sexto, *manifesta* lex erit, si condito-  
ris mentem ac voluntatem subditis per-  
spicue exhibeat. Quod ut præstet, im-  
primis eam publicē propositam esse oportet;  
ut universi, præscriptō ejus manife-  
stè intellectō, prohibita declinet & fa-  
ciant præcepta, ut dicitur *l. Leges g. C.*  
*de LL.* & *infra, à n. 65.* plenius trade-  
**11.** tur, Deinde, si ejus dispositio & legis-

latoris mens minimè obscura, sed clara  
sit & distincta, *c. fin.* n. aliquid per ob-  
scuritatem & in captionem continet, ut  
seipsum declarat Isidorus *can. 2. cit.*

Posteriori hoc sensu modōque, ut  
lex manifesta sit, ad ejus perfectionem,  
non ad substantiam pertinere, docet  
*cit. Suarez cap. ii. n. 1.* quod, ne dubi-  
um aliquid in legibus sit, ab earum con-  
ditoribus nullā diligentia valeat evitari.  
Quod licet verum sit, efficaciam tamē  
& obligandi ym non obtinet lex, cujus  
post accurata investigatione diligentiam  
apud Interpp. ac DD. variis & ambiguis  
sunt intellectus; cūm, quod multipliciter  
intelligitur, ejus veritas ignoretur,  
secundum Baldum in *l. Data operā ii. C.*  
*De his, qui accus.* & Everard. *Arg. Le-*  
*gal. locō à Rubro ad Nigrum n. 7.* Unde  
*ex istius ICTi mente imprimis hujusmo-*  
*di multiplicis ac dubii intellectus lex ad*  
*causarum decisionem allegari utiliter*  
*non potest.* Bartol. in *l. In ambiguo 3.*  
*ff. de Reb. dub. n. 2.* & Felinus in *c. 1. n.*  
*55.* Deinde, secundum intellectum U-  
num, etiam in pronunciatione expressum,  
lata Sententia ipsō jure valet: & licet ab  
ea non appelletur, in rem judicatam  
transit; quantumvis postea eō, secun-  
dum quem lata est, reprobato, alias ei  
contrarius sensus legitima declaratione  
firmetur, *arg. l. Cim prolatis 32. ff. De*  
*rejudic.* ubi & in *c. 1. cit.* Imola *n. 16.*  
Et demum, in praxi unum ejusmodi in-  
tellectum secutus legis violatae reus &  
poenae obnoxius haberi nequit: etiam si  
postea. eō rejectō, alias sensus legitima  
authoritate usū approbatus sit vel re-  
ceptus, *arg. c. Capellanus 4. de Feriis,*  
*ubi Glossa V. alii Panormit.* n. 6. Imola  
*n. 3.* & Barbola *n. 4.*

Præter qualitates *can. 2. cit.* ab Isi-  
doro expressas ad legem Aliqui exigitur,  
ut sit perpetua; quod cūm feratur pro  
commu-

communitate, eam, quam ista habet, stabilitatem etiam ipsa desideret. Alii tamen perpetuitatem ad Legis essentiam pertinere negant cum Gloria in c. i. canones etiam temporales agnoscentes; quod alias legibus accenserit nequeant Regulae Cancellariae Apostolicæ. Verum quia ista, licet cum authore suo expirent, a successoribus tamen semper refusitantur, sufficientem, licet minus quam aliae Constitutiones Apostolicæ, perfectam stabilitatem habere, atque idcirco legibus Ecclesiasticis accenserit posse visæ sunt in Proem. n. 102. quantumvis ad istarum essentiam perpetuitas pertineret.

### ARTICULUS II.

#### De Causa Legis Finali.

##### S U M M A R I U M.

15. Finis Legis est bonum Communitatæ,
16. Non cuiuscunq[ue], sed Perfectæ;
17. Licet aliquando proximè consulat privat[i]s.

15. **C**ausa Finalis, seu finis legis est bonum communitatatis, ut insinuatum n. 10. & exploratum est ex definitione D. Thomæ, relatâ & declarata n. 2.

Est autem Communitas generatim multitudine sive cætus hominum aliquo jure aut fædere seu vinculo morali, in ordine ad finem aliquem sociatorum, & à Politicis præsertim ICTis in Perfectam dividitur & Imperfæctam.

Perfecta communitas est cætus liberorum hominum publicæ utilitatis causa sociatorum, qui publicâ potestate Jurisdictionis gubernantur. Cujusmodi cæ-

tus seu communitates Ecclesiasticae sunt Ecclesia Catholica, omnes totius Orbis Christianos: diœcesis, certi alicujus districtus: Ordo Religiosus, Monasterium & huic similes alia Regularium congregations, homines speciali & à Sede Apostolicâ approbatâ modô ad Christianam perfectionem tendentes, complectentes. Seculares autem ejusmodi communitates sunt, Imperium, Regnum, Civitas, opidum & similes alia, plurius vel unius tantum provinciæ, loci vel territorij subditos continentis.

Imperfecta Communitas est cætus hominum conditionis cujuscunq[ue], privata utilitatis causa sociatorum & alicujus potestati solum Oeconomicæ seu dominativa subjectorum, ut est privata dominus complectens uxorem, liberos, famulos, servos, subjectos patrifamilias, à quo gubernantur, S. Thomas i. 2. q. 90. art. 2. & 3. Sotus Lib. i. de Justitia q. 1. art. 3. & Suarez Lib. i. de LL. cap. 6. n. 19. & 20. & alij, pro legi fine statuentes, bonum communitatæ perfectæ: quod etiam Ratio evincit; quia legislatio est principius actus jurisdictionis, quo gubernatur Respublica seu communitas perfecta: ad cuius profinde bonum utilitatemque leges ferendæ, sive ut Lib. 4. Ethic. cap. 1. Philosophus loquitur, ad Rempublicam sunt accommodandæ: ejus superior ratio petenda est ex origine potestatis gubernativæ & legislativæ; hanc enim sive, ut spiritualis, immediatè à Deo: sive, ut temporalis, ab hominibus proximè accepta sit, propter bonum commune concessam, si non aliunde, ex eo faltem constat, quod fidelibus gubernandi à Deo præpositi eorum pastores, qui animam suam pro ovibus suis ponere debent, non Domini sed dispensatores ac ministri vocentur. Ab hominibus autem sive istorum communitate assumpti ab illa

ab ista sibi praefecti sint; non ut sibi sufficiat que commodis eam subordinarent: sed ut in se translatâ potestate publicâ ad pacem & incolumitatem Civium & totius Reipublicæ felicitatem uterentur; ideo enim Reges & Magistratus ceteri Reipublicæ ministri appellantur, & præcipue differunt à tyrannis; quod non, sicut isti, propriam suam, sed communem utilitatem in suo regimine querant, secundum Aristotele Lib. 3. Polit. cap. 5. S. Thomam Lib. 3. de Regim. Princip. cap. 11. & D. Basiliūm, hanc inter eos differentiam aperte statuentem, in Proverb. homil. 12. pr.

17. Obstatre quidem, & Legi privatum duntaxat bonum aliquando intendi, siudere primò occurrit videtur l. 1. ff & § fin. Instit. de I. & I. prodita & à DD. approbata partitio Juris in Publico & privato: & quod l. 1. ff. de Confit. Princip. leges quedam, quod personam non egreditantur, vocentur Personales: talesque esse videantur leges tributorum, quae Principis, non communis: Præscriptionum, quæ privatorum duntaxat; multaque aliae, quæ pupillorum, minorum, mulierum, militum favorem & utilitatem spectant. At revera haec non obstante quia imprimis, licet materia proxima, circa quam leges primò & per se versantur, aliquando privatum bonum spectet: & hoc sensu jus aliud Publicum & aliud privatum sit. Ratio tamen, propter quam lex circa utrumque verlatur, & finis à legis conditore præcipue intentus semper est commune bonum totius Reipublicæ, cuius plurimum interest, tributa pendi Principi, cuius potentia ipsa defendatur: pupilos, minores &c, adversus injurias muniri, lites diminui, rerumque suorum conservandarum studium in civibus excitari: sicut eidem expedit, cives suos esse locupletes, Novell. §. pr. v. Confide-

ravimus, & rebus suis non male uti, §. Sed hocz. V. Sed & major Instit. de bis, qui sui vel alieni jur. Deinde; quia edicta Principum merè personalia, hoc est, quæ non pro certo genere, sed singularibus tantum personis feruntur, non tamen leges quām præcepta vel privilegia sunt, secundum Glossam fin. in Can. Erit autem lex 2. dist. 4. confirantem cum sententia Ciceronis, Lib. 3. de LL. ubi Majores, inquit, nostri in privatâ personas Leges ferri noluerunt; id est enim privilegium.

### ARTICULUS. III.

#### De Causa ejus Efficiente.

#### S U M M A R I U M.

18. Legis conditor est Potestas publica:
19. Non merè Oeconomica seu Dominativa:
20. Sed Politica seu Jurisdictionalia.
21. Ecclesiasticas Leges condit Summus Pontifex,
22. Ejus Legati, Episcopi,
23. Et alij obtinentes Jurisdictionem quasi Episcopalem.
24. Concilia quoque Generalia & Particularia,
25. Capitula, & Congregationes generales Regularium.
26. Non etiam Collegium S. R. E. Cardinalium pro toto Orbe:
27. Neque Capitula Cathedralibus inferiora.
28. Leges Civiles Papa pro territorio suo temporali:
29. Non pro aliis Regnis & Provinciis condit;

L

30. Nisi

30. *Nisi exigente bono Fidei, Religionis &c.*  
 31. *Alii Principes supremi Leges con-*  
*dant pro suo quisque Principatu.*  
 32. *Iis inferiores vi juris tantum spe-*  
*cialis,*  
 33. *Etiam Legibus contraria statuta*  
*condunt:*  
 34. *Licet SS. Canonibus ullò statutò*  
*nequeat derogari,*  
 35. *Ratio differentia.*

18. **C**ausa hæc, sive Legislator est persona habens autoritatem in alios eosque, præcipiendo vel prohibendo, gubernandi potestatem; quia Lex inducit obligationem, quam aliis imponere non potest, nisi Superior, præcipiendo vel prohibendo, obtinet potestatem.

An autem quævis alios gubernandi potestas ad legem ferendam sufficiat, dubium est. Est enim alios ita gubernandi potestas duplex, Oeconomica una, altera Politica: quarum ista etiam Jurisdictionis, illa vero Dominativa nuncupatur, eodem fere sensu, quod Dominium sive jus aliud Jurisdictionis, aliud Proprietatis esse, dictum est *Proemii n. 5.* Oeconomica sive Dominativa respicit partes seu membra communitatim imperfæta, & per se plerumque eam tantum potestatem habent, quam ejus subditorum utilitas exposcit. Politica vero sive Jurisdictionis respicit communitatim perfectam, & ad ejus bonum per se & ex primæva sua institutione ordinatur.

Unde etiam Principes & Magistratus alii, Politica potestate eminentes, ad Principatum, civitatem, aliamque perfectam communitatem tuendam, ejusque bonum & felicitatem procurandam, ad ejus cives & subditos in Officio continendos, cogendi seu coercendi vim multo majorem habent, quam paterfamilias aut

potestatem solùm dominativam obtinens; uxorem, liberos, famulos corrigendi ac puniendi. Quod præmisso

Expedita dubitationis resolutio & 20. Sententia DD. constans est, ad ferendam legem non sufficere Oeconomiam: sed necessariam esse Politicam sive Jurisdictionis potestatem. Ratio est; quia Legislatio est præcipiūs actus, quod Res publica seu Perfecta communitas gubernatur & commune ejus bonum procuratur: quod per se & ex primæva sua introductione Politica seu Jurisdictionalis potestas præstat, S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 3. Sylvester V. Lex. n. 14. Sotus Lib. 1. de Justitia. q. 1. art. 3. & Suarez Lib. 1. de LL. cap. 8. n. 2. & 6. Quia, ut hic Doctor n. 8. cum Bartolo in l. Omnes 9. ff. de I. & I. n. 1. advertit, non sufficit quæcumque jurisdictionis: sed Principalis aliave in ordine suo suorumque subditorum respectu primaria, aut à tali derivata & communica potestas necessaria est ad Legem condendam: qualem pro Statuum diversitate habent vel Princeps Ecclesiasticus aut Secularis, vel Optimates, vel ipse Populus, aut quibus ab ipsis est collata.

In specie autem Leges Ecclesiasticas condere potest imprimis Summus Pontifex: cuius Constitutionibus tota Ecclesia, sive omnes Christi fideles obligantur, can. Sunt quidam 25. q. 1. can. Sic omnes 2. dist. 19. c. 1. & c. fin. hic etiam si independenter à Concilio vel Collegio Cardinalium essent late, ut cum Panormit. in c. Ex gesit 2. de Cleric. non resid. Felino ad hanc Rubric. n. 2. & ceteris Interpp. docent cit. Suarez Lib. 4. cap. 3. n. 14. & aperte traditur c. Significati 4. V. Aiunt. de Elect. Ratio est; quia Papa successit S. Petro, can. Quamvis 3. dist. 21. can. Quoties 24. q. 1. cui totius Ecclesiæ gubernandæ, istamque ligandi ac solvendi potestas immediate à Christo

Christo tradita est verbis, *Tu es Petrus Eccl. Tibi dabo claves, quodcunque ligaveris Matth. 16. v. 18. Pasc e oves meas. Joan. 21. v. 18.* & non à populo vel Concilio accepta, *can. Cuncta q. q. 3. c. Novit. 13. de Iudiciis ibi, Potestas nostra non est ex homine, sed Deo. Unde etiam Juri communi infertis Constitutionibus Apostolicis raro addita leguntur verba, *Sacrum approbante Concilio, vel de Fratrum nostrorum consilio; quam tamen ejus rescriptis, Juris Corpore non clausis, satis frequenter inferta leguntur.**

22. Deinde etiam Prælati Papâ inferiores, ut sunt Legati Apostolici, *c. fin. de Offic. Legat. Episcopi, c. Si quis 2. de Majorit. & c. fin. hic in 6. hisque superiores Ordinis Episcopalis Prælati, ut sunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi respectu propriarum quique diœcesium *arg. cc. cit. respectu ceterarum autem & suffraganeis immediatè subjectarum Provinciae suæ diœcesium non nisi in Concilio Provinciali, can. Nullus primas 9. q. 3. c. sicut olim 25. de Accusat. Praeterea Cardinales respectu Ecclesiæ sui Tituli, c. His que 11. de Majorit. & alii Prælati atque Abbates exempti respectu proprii territorii ac Populi, in quem exercerent jurisdictionem quasi Episcopalem, Hostiensi, in Summan. 3. & 4. & cit. Suarez cap. 5. n. 4. Horum tamen omnium statuta non ad omnes, sed ipsius duntaxat subjectos fideles extenduntur; cum enim potestatem suam Pastoralem non immediatè à Christo, pacendi gregis suorum, immediate soli S. Petro ejusque successoribus committente, Joannis cap. 21. v. 18. sed à Papa, collatam sibi potestatem ipsi ad certi districtus fideles gubernandos communicante, acceperint, *can. Ita dominus 7. dist. 19. can. Decreto 2. q. 6. & c. Ad honorem 4. de Autb. Pall. istos***
23. duntaxat lege poterunt obligare, Hostiensi, *c. cit. n. 13.*
- Demum variae communites Ecclesiastica: & primo quidem Concilium generale: cuius Legibus tota Ecclesia obligatur, si ipsiis accedit authoritas Papæ, Navarrus Consil. 1. de Constit. n. 4. Bellarminus Lib. 2. de Concil. cap. 4. & cit. Suarez cap. 6. n. 2. à quo propterea decretorum suorum confirmationem postulavit & impetravit sacra & Oecumenica Synodus Tridentina Seß. 24. in fine, ut in Procemo n. 128. est dictum. Secundo, Concilia Nationalia, Provincialis & Synodi diocesanae, §. Porro post *can. Regula 2. dist. 3.* quorum tamen statutis propria tantum natio, provincia, diocesis ligatur, *can. Catholica 8. dist. 12.* Suarez cit. cap. 6. à n. 8. Tertiò, Congregations & Capitula generalia Regularium: quorum statuta & ordinationes, ut Regularis subditos obligent, debent esse secundum Regulari, quam sunt professi, Innocent. in c. In Singulis 7. de Statu Monach. cit. Suarez n. 21. Quartò, Capitulum Cathedrale Sede Episcopali vacante; quia hoc tempore penes ipsum residet jurisdictione Episcopalis, o. Cùm olim 14. de Majorit. & c. Unic. eadem Rubr. in 6. Eccl. Obligant autem statuta, exigente gravi causâ ab eo condita, totam diœcesin, *arg. c. fin. de Offic. Legati Panormiti, in c. Cùm olim cit. n. 24. Sylvester V. Capitulum n. 4. Fran. de Panvinis de Potest. Capit. Sede vac. p. 1. q. 6. & cit. Suarez n. 14.*
- Neque Capitulo statuta condenti 26. obstat; quod sacrum Collegium Cardinals vacante Sede Apostolica condere nequeat leges, extra propriam cuiusque Ecclesiam & ad omnes Christi fideles se extenderentes, ut cum Glossa in Clement. Ne Romani 2. V. Potestatis de Elect. Panormiti. in c. Cùm te 23. de Sent. & re judic.

L 2

v. 13.

n. 13. Felino *ibid. n. 11.* & alijs tradit. *cit.* Suarez *n. 5.* & desumitur ex *c. Ubi periculum 3. de Elec.*, in *6.* quô textu Sacrum illud Collegium, sede Apostolica Vacante, ea duntaxat, quâ pro eleccione summi Pontificis, & Ecclesiæ defensione, & imminentium periculorum propulsione expedire videntur, statuere permittitur: & ex *Clement.* *cit.* quidquid aliud Pontificiam potestatem exercendo statuerit, decernente irritum & inane. Non, inquam, hoc Ecclesiæ Cathedralis Vacantis Capitulo obstat; quia, esto propter textus istos S. R. E. Cardinalium collegio leges, totam Ecclesiam obligantes, condendi potestas, à *citt.* alijsque DD. negetur: non tamen idcirco neganda etiam est Capitulo cathedrali; qui inter hoc & sacrum illud collegium latum discrimen intercedit, quod, juxta dicta, Episcopô mortuo, renuntiante, deposito, eius jurisdictione transeat ad capitulum, c. *Cum olim, c. Unic. citt.* &c. nonetiam defuncti Papæ, seu Christi in terris vicaria jurisdictione & potestas ad collegium Cardinalium: imò, ne illa ad hoc transeat, differente cauteum vel declaratur sit *c. Ubi periculum & clement. citt.* Ratio discriminis ulterior est; quia ex una, jurisdictione & potestas illa Papæ immediate habetur à Deo: Episcopis vero sicutem immediate, ab hominâ datur, juxta dicenda *Tit. 3. 1.* à *n. 77.* Ex altera vero parte, Jure humano *C. cum olim, c. Unic. citt.* &c. statutum est, ut Episcopalis ad capitulum: non etiam Jure divino, ut jurisdictione Apostolica à Papa transeat ad Collegium Cardinalium, *cit.* Suarez *n. 14.* in fine & *Pirrhing. ad hanc Rubric. n. 6.*

**27.** Dixi, *Cathedrale;* quia Capitulū istud inferioribus statuta de rebus gravioribus condeadi potestatem competere, spectato jure communi, negant Panormit. in *c. Cum omnes 6.* & Imola *ibid. n. 14.* De

rebus autem minoribus statuta condita pacti & mutuæ promissionis inter eorum membra inita potius, quâ legis vim habere, cùm *cit.* Suarez *n. 19.* volunt Palao *Tratt. 3. disp. 1. p. 23. n. 26.* & *cit.* Pirrhing *n. 8.*

Læges autem Civiles condere potest imprimis idem Summus Pontifex: quod de legibus, subditos territorii, temporali ejus dominio subjecti, obligantibus, Juris apud Orthodoxos est omnino explorati.

Non defunt, & à Navarro *in c. Novit 13. de Judiciis n. 19.* referuntur DD. qui hujusmodi leges, universam Ecclesiam five omnes Christi fideles obligantes, condendi potestatem generalē ei adfruant, permoti *can. 1. disp. 22.* quô Nicolaus Papa Mediolanensis prescribens, Beato Petro terreni simul & celestis imperii jura commissa, ait, & *Extravag. Unam sanctam inter communes de Majorit.* ubi Bonifacius VIII. summum Pontificem duobus gladiis, Spirituali videlicet ac Temporali, à Christo munimt ostendens, Oportet, inquit, gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. Hujus certè virtute Romanum Imperium à Græcis translatum ad Germanos, c. *Venerabilem 34. de Elec.* & *Clement. Unic. de Jurejurando,* & malæ fidei possessori præscriptiōnem permitentes, aliaque leges Imperiales correctæ sunt *c. fin. de Præscript. c. Cum habet 5.* *De eo, qui cognovit* &c. *c. Super 4. de Secund. nupt.* &c.

Nihilominus ex modernis, Juris, 29, etiam Ecclesiastici & Sacrae Theologiae Doctoribus, leges merè Civiles universales condendi potestatem Papæ negant Navorrusl. *cit.* Turrecremata in *can. In apibus 7. q. 1.* Covarruvias in *Reg. Peccatum p. 2. §. p. n. 7.* Sotus in *4. disp. 25. q. 2. art. 1.* Bellarminus *Liber. 5. de Pontifice cap. 2.* & Molina *Tratt. 2. de J. & J. disp. 29.*

*diss. 29. n. 19. & cit. Suarez Lib. 3. cap. 6.*  
*n. 3. Rationem reddunt; quod, eam potestatem D. Petri & successoribus à Christo concessam, ex ulla Sacra Scriptura textu vel Traditione non constet: imò temporale dominium, quod habet in terris, ipsi quoad temporalia subjectis, sive B. Petri Patrimonio, ut vocatur, c. Per Venerabilem 13. pr. V. Id autem in Patriomonio. Qui fil. legit. Imperatorum aliorumque Principum liberalitate ac donacione fuisse comparatum, ipsi Romani Pontifices agnoscant, can. Ego Ludovicus 30. dist. 63. §. Constantinus post can. Numquam 12. dist. 69. c. Fundamenta 17. de Elect. in 6. & demum ab ipfismet summis Pontificibus Imperatori, Regibus, aliisque hujusmodi Principibus supraea potestas & jurisdictionis temporalis aperte adstratur & tribuatur, can. Cum ad verū 6. can.*

*Duo sunt 10. dist. 96. can. Inter hec 32. q. 2. ibi, Ecclesia Dei gladium ( à Christo acceptum.) non habet, nisi Spiritualem, c. Solita 6. de Majorit. & obed. ubi, sicut Papam in Spiritualibus, sic Imperatorem in Temporalibus, præcellere asseritur, c. Novit. cit. c. Causam 7. de Legit c. Per venerabilem cit. Atque ob hanc causam in civilibus & merè prophanis causis à Curia Secularibus ad summum Pontificem non nisi in terris, temporali ejus dominio subiectis, per appellationem provocatur, c. Si duobus 7. §. fin. de Appellar.*

30. Neque aliud evincunt deducita in contrarium; quia duorum Papæ gladiorum alter, sive potestas & jurisdictionis in temporalibus extra proprium ipsius territoriorum solum indirecta & alteri sive Spirituali ejus potestati subordinata est; ut ea uti Papa nequeat, nisi quantum exigit finis supernaturalis, scilicet Ecclesia veraeque Fidei & Religionis Catholicae conservatio & communis salus spiritualis alicuius regni vel provinciae: quō mo-

dō explicati alterius gladii, sive potestatis in temporalia, vi Leo Papa Romanum Imperium à Græcis ad Germanos translulit; cum ad Ecclesiæ defensionem conservationemque id necessarium esset: & præscriptionem cum mala fide permittentes, alias similes leges Civiles alij summi Pontifices canonici sanctionibus correxerunt. Eodem modo declarata potestate idem contractus aliquo actus circa res temporales verbantes, tanquam Naturali aut Divino Juri contrarios, prohibent, vel potius dishonestos & Juribus illis prohibitos declarant. Unde etiam alter hic gladius, seu temporalia spectans ejus potestas, non merè Temporalis, sed ex parte, scilicet ratione finis Spiritualis est, ut probè advertit cit. Molina n. 23.

Sicut à Papa pro territorio suo temporali, sic ab Imperatore pro toto populo Romano, à Regibus aliquo Princibus, Rebus publicis ac statibus, in jurisdictione temporali Superiori non recognoscensibus, ut sunt Republicæ Veneta, Batavica, Helvetorum, Rhætorum &c. pro regnis, provincijs ac terris sibi subiectis leges Civiles condere possunt, l. 1. ff. de Constit. princip. I. Omnes 9 ibi, Quod quisque populus ipse sibi sua constitutere potest, ff. de I. & I. Panormit, in c. Qua in Ecclesiistarum 7. n. 6. & cit. Suarez cap. 9. à n. 18. Ab his tamen promulgata Constitutiones seu leges, ut totum regnum, provinciam, statum obligent, aliquando procerum Parlamenti, statum Provincialium, supremi senatus consilium aut etiam consensum exigunt: & hodie ad Constitutiones, Romanum Imperium totum obligantes, istius Elektorum aliorumque Principum ac Statuum consensum requiri, ex varijs Constitutionibus ac Recessibus Imperialibus desumit Hermes Fajicul. Jur. Publ. cap. II. n. 74.

L 3 Princi-

32. Principes autem ceterique Magistratus, superiorem etiam in temporalibus recognoscentes, leges vel statuta condere nequeunt; nisi eas condendi facultatem privilegiò vel Consuetudine legitime præscriptā obtinuerint, & secundum limites sibi concessæ aut præscriptæ potestatis cit. Panormit. n. 6. & Suarez n. 20. quam saltem ad leges secundum, jmd etiam præter Jus commune condendas se extenderis, omnes facile concedant.

33. An autem hujusmodi Principes ac Status, uti & Papâ inferiores Prælati leges seu statuta communi Juri contraria condere valeant, dubium & subtilis investigationis controversia est inter DD. Sunt enim, qui utrique, tam Civili quam Canonicô, Juri contraria statuta, saltem peccati non nutritiva, condì ab ijs posse, cum Rocho de Curte de Consuet. scilicet 3. n. 7. & Alberico de Statut. p. 1. q. 7. affirmant propter, textum l. Omnes cit. & paritatem curia Consuetudine: quâ utrique Juri derogari posse, Navarri de Majorit. Confil. n. 3. Laiman in c. fin. de Consuet. n. 5. aliorūque Interpp. ac DD. communis sententia est. Sunt etiam DD. id sine ullo inter Jura discrimine negantes: quibuscum Azor p. 1. Inst. lib. 5. cap. 25. q. 11. & laudatus Suarez Lib. 6. cap. 26. à. n. 6. neutri Juri ab ijs derogari posse, sustinent, permoti generali textu Clem. Ne Romani 2. de Elec. cuius pr. Clemens V. Nos, inquit, attendentes, quod lex superioris per inferiorem tolli non posse: & non minus generali Ratione; quod vis ac potestas inferior prævalere nequeat superiori, tanquam fortiori, can. Inferior 4. dif. 21 & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & obed.

34. Alii utrisque melius & communius cum Panormit in c. fin. n. 9. Felino in c. Quod super 9. de Majorit. n. 2. inter Leges & Canones distingunt: & his qui-

dem derogari per statuta ab inferioribus Prælatis & communitatibus Ecclesiasticis posse, inficiantur; quod, præter Clement. cit. & Rationē pro Suatij Opinione allatam, id evincant clari textus c. Quod super cit. ibi, Dummodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonis obviet infinitus, & can. Institutionis 25. q. 2. ubi Papæ decreta à quoquam in totum vel in partem convelli vel immutari prohibentur: quibus consonant can. Amputato 11. & can. Ecclesiastica 12. q. cit. Illis contrà, siue legibus Imperialibus per statuta contraria derogari posse, concedunt & ferè desumunt ex l. Omnes cit. quam, licet de legibus Imperialibus ultra Jus communis exaudiat cit. Suarez n. 11. communis tamen DD. expositio & Consuetudo, quæ legum optima Interpres est, c. Cum dilectus 8. de Consuetud. de statutis etiam juri illi contrarijs evincit accipiendam.

Rationem differentiarum inter hæc Ju- 35. ra Panormit l. cit. cum suis asseclis satis expeditam reddit; quod Jus Civile profine habeat felicitatem merè temporalem, qua à locorum temporumque circumstantiis magis pendet, quam per Canones intenta felicitas & salus animarum spiritualis; cùm enim ista minus diversis modis ac mediis promoveatur & obtineatur, quam temporalis, maius periculum ac præjudicium afferret ab aut derogatio functionum Canonicarum, quam Civilium Legum.

Neque paritas est statuti cum Consuetudine; quia ista vim suam non solum habet à tacito consensu, adversus Leges Ecclesiasticas agentium: sed etiam ab authoritate Papæ: qui eam contra has introduci permisit, & introductā approbavit c. fin. de Consuet. ubi Juri positivo contraria consuetudo, duobus rationabilis & legitimè præscripta sit, generaliter, nullā.

nullaque inter leges & canones facta distinctione, approbatur: licet, contra canones ab inferioribus aliquid decerni, non permitat: inò disertè prohibeat, ec. cit. ut rectè observat Barbosa de Ofic. Epis, alleg. 39. n. 29. qui tamen an. 31. refert varios casus, quibus contra hoc aliquid statuere Episcopus posse videtur.

## ARTICULUS IV.

## De Causa Legis Materiali.

## SUMMARIUM.

- 36. Materia Legis sunt actus boni & mali.
  - 37. Non tamen omnes,
  - 38. Vel omnino indifferentes,
  - 39. Vel merè interni:
  - 40. Nisi conjuncti sint cum actu externo.
  - 41. Principi merè internus potest in Foro Conscientiae,
  - 42. Actus prateriti nec praeципientis nec prohibentia:
  - 43. Neque regulariter punientis Legis materia sunt.
  - 44. Etiam actus anteriori Lege prohibiti:
  - 45. Sed irritante duntaxat,
  - 46. Et declaratoria lege affici possunt.
  - 47. Principis in res privatorum absoluta potestas,
  - 48. Variè probata,
  - 49. Adversatur Divinis Oraculis,
  - 50. Legibus humanis,
  - 51. Rationi Jurisque Naturali.
  - 52. Imperator non est omnino exlex:
  - 53. Neque de temporalibus ipse,
  - 54. Aut Papa de spiritualibus juribus privatorum prolibitu,
- 36.
- L**Egis materia non obscurè statuitur l. Justitia 10. §. 1. ff. & §. Juris 3. In sit. de I. & I. quò textu utroque prodita, vel potius relata Juris præcepta sunt, Honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere: hoc est, operationes sive actus humani, non Justitiae solius, sed aliarum quoque virtutum, qua præcipi: aut vitiorum illis oppositorum, qua prohiberi puniri que: aliquando etiam, ad vitanda majora mala publica, minora permitti possunt seu tolerari: sicut Judeis usuræ, exigendæ ab extraneis, Deuteron. cap. 23. v. 15. & Libellus Repudii permisus est Deuteron. cap. 24. v. 1. & alicubi publicæ meretrices tolerantur, can. & §. fin. diff. 13. & can. Hac ratione 31. q. 1. S. Thomas 2.2. q. 78. art. 1. & Petr. Barbosa in Rubr. ff. Soluto Matrim. p. 2. n. II.
- 37.
- Neque refert; quod multæ virtutes præceptæ & virtus prohibita sint Lege Naturali vel Divinâ; quia propterea neque frustraneæ sunt Leges humanæ, illa præcipientes & ista prohibentes; cùm bono communi expediatis, subditos ad aliquid faciendum vel omittendum pluribus titulis obligari, Laiman Lib. 1. trah. & cap. 4. n. 2. Neque etiam necessariò omnia vitia sub pena prohiberi debuerunt Lege humanâ; quia Lex Naturalis & Divina attendit, quid cuique conveniat: Lex autem humana, quid expedit communitati: cui, cùm attentâ hominum fragilitate non expedit omnibus peccatis pænam constitui, inconveniens

niens non fuit, minora aliqua mala impunita tolerari: licet Naturali & Divina Legem omnia prohibeantur ac puniantur, ut cum S. Augustino *Lib. 1. de Liber. arbitr. cap. 5.* tradit Suarez *Lib. 3. de LL. cap. 8. n. 12.* ubi ait, *Humanæ, præserum Civilis, lege intendi hominem facere bonum moraliter: non tamen simpliciter in hoc genere; cum talia esse nequeat, nisi careat omnibus vitiis: quod Lex Civilis consulere, non etiam efficaciter intendere potest.* Unde

38. Dubium oritur primò, an Legis materia sit actus indifferens? Ratio dubitandi est; quia Lex esse debet rationabilis, justa & utilis communitatī, *can. Erit autem 2. diss. 4.* cuiusmodi non est, quæ præcipit actum, secundum se & omnibus circumstantiis speclatis, omnino indifferente, sive neque bonum neque malum. Ratio hæc Doctoribus ferè persuasit aëlum omnino indifferente idoneam legis materiam non esse, præterquam permittentis, S. Thomas *1. 2. q. 39. art. 2.* & Suarez *cap. cit. n. 18.* Quod licet ita sit, lege tamen præcipi vel prohiberi potest actus: qui, licet secundum se indifferens sit, affectionem tamen aliquius finis & utilitatem publicæ per legem intentæ promovere vel impedire potest, Suarez *1. cit.*

Dubium secundò est de aëlu merè interno. Quem, sicut Naturalis & Divinæ, sic humanæ quoque legis materiam esse, cum *Glossa in can. Cogitationis 14. diss. 1. de Parit.* voluerunt Adrianus *Quodlib. 8. art. 1.* Rosella *V. Absolutio 1. n. 28. & 29.* & Clarus *§. fin. q. 91. n. 1.* Mōventur apertis textibus c. *Dolentes 9. de Celebrae. Mis.* in recitatione Officii Divini præcipientis devotionem, *Clement. 1. de statu Monach.* & *Clement 1. §. Vērum de Hæreticis,* quorum priori Religiosi Ordinis S. Benedicti ad Curias Princ

cipum accedentes *animō accusandi Pra-*  
latum: posteriori Inquisidores hæreticæ pravitatis in causis Fidei contra aliquem procedere ex odio, gratia vel amore omitentes excommunicantur. Rationem redunt; quia legibus humanis prohibentur peccata vg. homicidia, adulteria, furtu etiam occulta. Cur non etiam merè interna? præsertim ab Ecclesiastica potestate, cui à Christo generalibus verbis, *Quodcumque ligaveris super terram,* Matth. *cap. 16. v. 19.* concessa potestas, si ad actus externos restringenda esset, quâ ratione Fideles ejus vi ab internis absolvit, non appareat. Confirmatur; quia Leges Ecclesiastica spectant bonū animarum & finem supernaturalem: ad cujus affectionem actus interni plurimum prodebet vel obesse possunt.

Sed verius, actus merè internos humanæ etiam Ecclesiastica Legis materiam esse, cum D. Thoma *1. 2. q. 91. art. 4.* negant Sylvester *V. Excommunicatio 7. n. 2.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 17.* Covarruvias *in Reg. Peccatum p. 2. pr. n. 7. cit.* Suarez *Lib. 4. cap. 12. n. 4.* & Lai man *Lib. 1. trah. & cap. 4. n. 5.* Ratio est; quia, ut Aristoteles *10. Et hic. cap. 5.* ait, potestas legislativa conjuncta esse debet cum coactiva, seu facultate coercendi ac seu puniendo transgredores idque non solum imponendò poenam per legem: sed etiam cognoscendò de delicto, eique infligendò poenam, vel à Jure latam declarandò & exequendò tecus enim efficaciè desfiteretur. Cum ergo Ecclesiæ non competit potestas cognoscendi & judicandi actus merè internos, teste Innocentio III. *c. Siout tuu 33. Et Tua nos 34. de Simonia,* ubi Innocentius III. Ecclesiæ, nō de occultis, sed de manifestantur judicare datum, disertè fateatur: & cogitationis poenam ab homine inflistam nemo patiatur, *can. Cogitatio nis cit.*

*nisi sit. Et can. Erubescant 11. dist. 34.* quia peccata, solum cogitatione commissa, solus cordium scrutator Deus suo iudicio reservavit, Ecclesia etiam non competit potestas legislativa illos respiciens. Alter res se habet cum homicidio, adulterio, furto occultis; quia peccata haec eum ipso; quod sint actus externi, ex se & natura sua humanae potestati sunt subiecta. Quod autem hic & nunc lateant, per accidens est: sicut, quod hic & nunc non noceant Reipublica & maneant impunita: actus autem merè internus ex se & natura sua occultus; adeoque Divinae potestatis cognitioni est reservatus, *can. Si quandisque 15. q. 6.*

40. Pro lege humana, merè internos actus præcipiente, deducit vim non habent; quia textus Canonici *citt.* non fuit de actibus merè internis: sed requisitis ad externū: sicut vg. ad veram Orationē vocalem necessaria est devotione: vel cum actione externa conjunctis; sic enim, ut excommunicatio a Religiosis vel Inquisitoribus illis contrahatur, non sufficit intentio accusandi, vel odium aut amor merè internus: sed haec conjungi necesse est cum actibus, accusationem externalm spectantibus aut proditibus malum animum internum. Verbis autem Christi allegatis concessa quidem est potestas in delinquentes actu merè internō: sed pro Foro solum Conscientiā internō, in quo non propriō, neque alicuius humanae potestatis, sed solum Dei nomine peccata remittuntur: non pro externo, cuius est potestas legislativa: quæ, ut dictum est, non datur sine jurisdictione contentiose, non solum præcipiendi prohibendique, sed coercendi quoque vim includente.
- Neque obstat; quod Confessarii pro penitentia examen conscientiae, memoriam novissimorum &c. injungere: &
- superiores Regulares subditis meditacionem, rectam intentionem, internam iudicij & voluntatis Obedientiam &c. præcipere valeant ac soleant. Non, inquam, haec obstat; quia imprimis Confessarii jurisdictio non est contentiose; cum exerceri nequeat, nisi in volentes, sequi ipsi sponte subjicientes: & ab ipso injuncta penitentiae impletio efficaciter urgeri non potest. Deinde; quia etiam Religiosis actus interni, qui cum externo non sunt conjuncti, non præcipiuntur ex vera potestate legislativâ & jurisdictio-  
nis: sed merè præceptivâ, ortâ ex voto Obedientiæ, se prælatis sponte subjec-  
tum & promittentiū executionē actuum sibi præcipiendorū, etiam merè internorum: quos exequi, si malitiose nolint, effi-  
caciter cogi non possunt, *cit. Suarez n. 15.*
- Dubium tertius est de actibus præ-  
teritis: de quibus pro varietate Legum est distinguendum. Et primò quidem actus præteritos materiam legis præcipi-  
entis vel prohibentis non esse, patet;  
quia haec debet esse possibilis, *can. Erit  
autem 2. dist. 4.* ad præteritum autem, ut pro præterito tempore factum aut infe-  
ctum sit, potentia non datur *can. Si P au-  
luis 32. q. 5.*
- Secundò, eadem fere ratio est legis 43.  
punientis respectu actuum præteriorum, nullā lege anteriori prohibitorum vel præceptorum; quia hoc ipso; quod transgressionis rationem non habeant,  
penam, qua transgressionis ultio est,  
nequeunt promereri, *arg. l. Aliud 131.  
ff. de V. S. Gloffa in c. Cognoscentes 2.  
V. Culpa & Barbosa in c. cit. n. 2. Pu-  
nientis*, inquam, penā propriè dictā;  
quia meram inhabilitatem etiam actui præterito annecti, & ab eo, quiculpam non comisit, contrahi, ut etiam privilegium denegari & revocari posse, mo-  
net Suarez *Lib. 3. cap. 14. n. 9. in fine.*

M Tertiū,

Tertid, si actui, anteriori ali-  
44. qua lege prohibito, pena statuatur vel  
antè imposta exasperetur, eam ad ejus-  
modi actum seu delictum præteritum  
nondum vindicatum, licet non exprimatur,  
extendi, Connarus *Lib. i. Comment.* cap. 9. n. 10. contendit ac desumit  
ex *i. fin. C. de Pacis* *i. fin. C. de Pac. leg.*  
*commis. & Feud. Lib. 2. tit. 55.* quo-  
rum textuum prioribus pacta de viven-  
tis hereditate & legis Commissoriæ in  
pignore jam inita, pronuntiantur irrita  
& jubentur rescindi: posteriori Feudi  
alienatio sine consensu domini directi at-  
tentata non modo prohibetur in posse-  
rum, sed facta quoque cassatur & in ir-  
ritum dederit. Verum hujusmodi  
sanctionibus Imperialibus novas leges  
penales ad delicta jam præterita à le-  
gis conditore extendi solùm posse, quod  
ultra conceditur: non etiam, si id expreßè  
cautum non sit, ad ea referti ex condito-  
ris mente oportere, evincitur; cùm novas  
Leges ad præterita, si nominatim de præ-  
terito tempore, vel de pendentibus deli-  
ctis cautum non sit, non revocari: sed il-  
lis futuris tantum negotiis formam mo-  
dumque prescribi, generaliter & indi-  
stinctè statuatur, *i. Leges 7. C. de LL. &*  
*c. fin. hic: & extensionem in Legibus pre-  
nalibus Juris Ratio non suadet, nec fa-  
cile permittrat; quia illæ, tanquam odio-  
sa, restrictionem exigunt potius, quam  
extensionem, *i. Faustum 155. §. fin. ff. &*  
*c. Odia 11. & c. In pœnis 49. de R. I. in 6.*  
quod, cùm in penis irrogandis non ea,  
qua nunc, sed ea qua delicti perpetrati  
tempore imposta fuit, spectandum sit,  
adeo; ut si delictum commiserit servus,  
qui nunc libertatem consecutus est, nunc  
perinde, ut, si conditionem non mutasset,  
in servos constitutæ penæ coercetur,  
*i. i. pr. & §. i. ff. de Pœnis*, parti modò  
penæ delinquentibus irrogandæ non sint*

secundum leges nunc conditas, sed secun-  
dum eas, quæ delicti perpetrati tempo-  
re obtinuerunt: nisi post hoc commissum  
publicatæ legæ novâ aliud exprimatur.

Quarto, actus præteriti materia esse  
posunt legi irritant, ut pater, partim 45.  
arg. à contrario *c. cognoscentes & c. fin.*  
*citt. partim ex eo; quod actus merò Ju-*  
*re validi per sententiam judicis rescindit, &*  
*à parentibus vota liberorum, emissa ante*  
*impletos annos pubertatis, irritari possint,*  
*Laiman in c. fin. cit. n. 8.* Quod licet  
verum sit, regulariter tamen præteriti  
actus irritati non censentur: nisi id Le-  
ge exprimatur. Ratio est; quia Prin-  
ceps jure jam quæsto, licet ex justa &  
publica causa possit, neminem tamen pri-  
vare, si non exprimat, censetur, *c. Super*  
*eo s. junctâ Glossâ V. Intentionis, de Offic.*  
*deleg. Glossa in c. Ex multiplici 3. V. éo-*  
*dem de Decimis, Gaill. Lib. 2. observat*  
*58. n. 5. & Laiman in c. fin. n. 4.*

Quinto denum, actus præteriti ma-  
teria esse possunt, Constitutionis declara-  
toriæ juris præexistentis, prout desumitur  
ex can. *Utrlex 27. 9. i.* quòd clerici in sacris  
& Professi matrimonium invalidum: &  
ex *c. fin. de Sponsa duor.* quòd ex duobus  
conjugiis, quorum prius ratum, poste-  
rius consummatum est, hoc nullum esse  
declaratur: quas, & generaliter quascun-  
que constitutiones declaratorias Juris  
Naturalis aut Divini ad præteriti actus  
extendi, docent in *c. fin. Panormit. n.*  
*8. Felinus n. 4. & Laiman n. 6.* Ratio  
est; quia, qui jus sollemmodo declarat,  
non de novo condit, sed sollemmodo id,  
quòd antè positum est, manifestat *arg.*  
*i. Hæredes 21. §. 11. ff. Qui testam. fac. pos-*  
*funt, ubi declarans nihil dare, sed da-*  
*tum significare asseritur.*

Dubium quartò est, an lege subditis 47.  
jus suum valeat auferri. Fuere enim sunt  
que hodie, qui summo Principi id pro-  
fus vo-

suæ voluntatis arbitrio faciendi potestatem omnino absolutam adstruere conentur: eamque in dubium & quæstionem vocare, sacrilegio proximum arbitrentur, arg. l. *Difputare 3. C. de Crim. Sa-*

*erileg. quod id Jure sit exploratum.*

48. Et primò quidem, ea potestatis plenitudo Sacris litteris prodita, inquiunt, est Lib. 1. Reg. cap. 8. V. 11. quod loco Regii juris amplitudinem Dei nomine populo declarans Propheta Samuel aper- tè omnia subditorum bona constituit in Principis potestate; *Hoc enim, inquit, erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet & ponet in curribus suis &c. filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias & panificas: agros quoque vestros, vineas & olivetas optimas tollet & dabit servis suis &c. Servos quoque vestros & ancillas auferre; vobisque eritis servi ejus.* Ultra quæ quid ad potestatis Reginæ omnino absolutæ plenitudinem valeat desiderari?

Secundò; quia, quod Principi plau- cuit, Legis habet vigorem, l. 1. pr. ff. de Constitut. princip. cùm qua si lege Regia in eum à Populo imperium suum & po- testas sit collata, pr. cit. &c. Sed quod pla- cuit Principi. *Instit. de I.N.G. & C. ut jus suū alicui auferre ei, si libit, etiam licet: & quod libuit, pro legi sit observandum,*

Tertiò; quia Princeps est supra le- ges, l. *Princeps 31. ff. de LL. & Novell. 105. cap. 2.* Sub cuius finem hæ ipsi à Deo subiectæ a seru ntur; ut proinde domi- nium rerum saltem earum, quas ex legis di positione privati obtinent, his liberè valeat auferre.

Quarto; quia idem est Dominus mundi, l. *Deprecatio 9. ff. ad L. R. bod. de jactu;* ut, quæ in mundo sunt, ejus es- se omnia intelligantur, l. *Bene à Zenone 3. C. de Quadr. prescript. & propterea, sicut privato cuivis de re sua, l. In re*

*mandata 21. C. Mandati, sic ipsi quoque de omnibus mundi seu principiatis sui, & quorumcumque privatorum sibi subjectorum rebus liberè disponendi competit facultas: vi cuius, de rerum dominio per viam præscriptionis ab uno in alterum transferendo, leges constitutæ sunt, pr. *Instit. de Ufucap. imò, ex flumine etiam publico aquam ducenti, cuivis compe- tens jus alicui auferri ab eo potest, arg. à contrario ductò ex Verbis, Quod minus ex flumine publico ducatur aqua, nihil im- pedit: nisi Imperator vetet, quæ sunt l. 2. ff. de Fluminibus.**

Quintò, quia supremus Princeps se- cularis non minorem potestatem habet in bona & jura subditorum temporalia, quam in spiritualia hisque afixa competit Papæ, arg. can. *Quo jure 2. dif. 8. &c. Causam 7. Qui fil. legiimi.* Papa autem de quibusvis spiritualibus & Ecclesiasticis rebus ac iuribus disponendi plenam & ab solutam obtinet potestatem; ut, cui vult, ea conferre & auferre libere possit arg. can. *Cuncta per mundū g. q. 3. c. Licet 2. de Prabend. in 6. & Clement. 1. Ult. lite pendent.*

Sed standum est sententiâ omnium melioris nota ac sensu DD. pro certo unanimiter statuentium, plenam hujusmodi potestatem Principum terrenorum non Humanitatî duntaxat & æquitanter, sed Divinis humanisque legibus, Jurique & Rationi etiam Naturali adversari.

Et Divinis quidem legibus eam ad- versari, luculentem docuit Deus, per os Prophetae Principibus Israël præcipiens, *Ini- quitatem & rapinam intermittit, Eze- chiel. cap. 45. v. 9. & Non accipiet Princeps, de hereditate populi per violentiam & de possessione eorum, Ezechiel. cap. 46. v. 18. ut meritò Ahab gravissimè re- prehensus & penâ, in totam posterita- tem propagata, à Deo castigatus sit; quod vineam Naboth vi occupâisset, Lib. 4. Reg. cap. 10.*

M 2

cap. 10.

*cap. 10. v. 10.* quia, ad malè agendum & alienum auferendum, nulla potestas Princi-  
pi est concessa.

50. Eadem contraria eit legibus huma-  
nis; quia haec refutari jubent rescripta e-  
tiam imperialia, contra jus elicita &, qua  
aliam ledunt, *l. Rescripta 7. C. de Precib.  
Imp. offer.* ab emptione & venditione ju-  
re perfecta, contrahentiū alterō invitō, re-  
cessū ex ejusmodi rescripto alteri nō per-  
mittunt, *l. De contratu 3. C. de Rescind.  
vendit.* & à Principe, qui antē investivit,  
aliquem defestivi sine culpa posse, Feudor.  
*Lib. 1. tit. 7.* disertē & juri negant; quod  
Principem facere non oporteat ea, quae  
injuste fiunt, *l. Autoritatem 3. C. Unde  
vi:* cuius Ratio est; quia Princeps non  
aliam potestatem habet, quam que in ipsu-  
m à Populo eft translata, *pr. & S. sed  
& quod Principi cit.* Cū ergo popu-  
lus in singulorum civium bona ita abso-  
lutam potestatem non habuerit, ut de  
ijs pro libitu suo posset disponere, ita am-  
plam de ijs disponendi potestatem nec  
Princeps habebit.

Eadem potestas non congruit Ra-  
tioni & Juri Naturali; cū ex istius  
principiis ac præceptis sit, *Alterum non  
ledere, ius suum caique tribuere,* *l.  
Justitia 10. §. 1. ff. & §. Juria 3. Instit. de  
J. & J.* cuius Juris præceptis cū indi-  
scriminatim omnes tenantur, subditis  
suum absque justa causa auferre etiam  
Princeps nequit: &, si violenter auferret,  
Princeps veraciter dici non posset, *arg.  
can. fin. 2. q. 1.*

Neque haec tenus rejectæ principalis  
potestatis plenitudini efficax patrocinum  
præstant, quæ pro ea sunt deducta. Pri-  
mum, defumptum ex *Lib. 1. Reg. cap. 8.*  
quia hoc loco per Jus Regis, non huic ju-  
re competens potestas denotatur: sed ini-  
qua & tyrannica, quæ populum Isræl,  
ut eō tempore quædam gentes aliae & ho-

die Turcæ, à Regibus gravi & insolenti  
Imperiō, injuriis & contumeliis affligen-  
dum conculcandumque & in servitutem  
redigendum, per Samuelem Deus est mi-  
nitatus, ut cum S. Cypriano & PP. aliis  
locum illum exponunt D. Thomas 1. 2. q.  
105. art. 1. ad 5. & Mendoza in cit. *cap.  
8. v. 11. an. 3.*

Secundum; quia non quodvis pla-  
citum Regis vigorem legis habet: fed il-  
lud demum, quod publicè utile hone-  
stumque, recta rationi, & juris præser-  
tim Divini & Naturalis præceptis con-  
sentaneum est, & non tendit in alterius  
laesionem, *arg. l. Justitia & §. Juris citt.*  
cū enim hæc sola potestas competeret  
populo, ab hoc in illum major non po-  
tuit transferri, *arg. Reg. Nemo plus 79.  
in 6. Covaruvias Lib. 3. var. cap. 6. n. 8.*

Tertium; cū, quia Princeps legi-  
bus non indistinctè omnibus folitus, sed  
ligatus ipse etiam est Divinis & Naturali-  
bus: quarum vi eum etiam ad huma-  
naru, quæ materiam ipsi & subditis com-  
munem habent, & ad contractuum cum  
privatis initiorum observantiam teneri, *n.  
94.* statuerit: iūm verò; quia rem, post  
quam cujuscunq; etiam Civilis, Juris  
dispositione acquisita est, invito domino  
sine ejus culpa vel causa publica auferre,  
Naturalis Jus non permittit, *l. Jure Na-  
tura 206. ff. de R. J.*

Quartum; quia Imperator mundi *ff.*  
Dominus non est, quoad singularum re-  
rum proprietatem earumque liberum u-  
sum: fed solum, quoad protectionem  
jurisdictionemque & dominium, ut aliqui  
vocant, Eminiale, Specians Reipubli-  
cae necessitatem & utilitatem, *arg. l. Pre-  
cipimus 32. pr. ibi Pro utilitate mundi C.  
de Appellat.* cuius intuitu præscriptionū  
tempora constituta sunt, & ex publico  
flumine aquæ ductus, quod vg. id minus  
navigabile redderetur, prohiberi à prin-  
cipe

cipe aliōve magistratu potest, Gaill. Lib. 2. obseruat. 56. n. 1. Vasquius Illusfr. controver. cap. 5. Harprecht pr. Instit. de Uſa. cap. à n. 23.

54. Quintum; quia etiam Papa in spiritualibus & Ecclesiasticis, ut amplissimā polleat, eam tamen potestatem non habet; ut ejusmodi res & jura, locis ac personis Ecclesiasticis qualitera, sine legitima causa pro voluntatis sua arbitrio auferre ei fas sit; cùm bonorum & Iurium Ecclesiasticorum, tam spiritualium quam temporalium, non absolutus dominus, sed administrator duntaxat ac dispensator sit, S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. Panormit. in c. Constitutus & de Relig. domib. à n. 14. Navarrus de Spoliis cleric. §. & n. 2. & Redoanus de Rebus Eccles. non alienandis Rubr. 30. casu 4. n. 15.

Quare propositæ dubitationis resolutionis distinctionis beneficii temperanda, & supremo Principi in res & jura subditorum potestas, non quidem plena & omnino absoluta: sed ea duntaxat adstruenda est; quād expicit bonum Reipublicæ; ut, licet de illis non perinde, ut de propriis, omnino liberè, exigente tamen publica necessitate vel evidenti utilitate suadere, disponere, eaque privatis auferre & in alios transferre legali aliave ordinatione possit, Panormit. in c. Cūm in Ecclesiastarum 7. n. 11. ubi Feli-nus n. 26. Jafon in l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. à n. 24. Gaill. cit. n. 1. & alij, id desumentes ex l. Quod minus 2. l. Bene à Zenone citt. & l. Si verberatum 15. ff. de R. V. ubi Ulpianus, agrum domino ademptum, militibus assignatum refert, l. Si quando 9. l. Aedificia 14. C. de Operib. publ. quibus aedificia privata propter publica dirui permittuntur &c. Ratio est; quia publicum sive Reipublicæ bonum præponderat utilitati & commodo pri-

vato, Feudor. lib. 2. Tit. 55. pr. ut, sicut illius gratiā à communibus Regulis in multis receditur, c. Abbate 3. sub finem ibi, Cūm nonnulla pro utilitate communis, de Sent. & re jud. in 6. & l. Ita vulneratus 51. & fin. V. Multa ff. ad L. Aquil. ita, quod pro ipsis incolumitate Princeps vel supremus magistratus quicunque statuit, justum sanctumque habeatur: quantumvis inde singuli in rebus suis patiantur detrimentum; cūm enim pro Republica sanguinem suum profundere quicunque teneatur, multò magis res & bona caduta, quibus vita hominis pretiosior est, pro ejus incolumitate & felicitate sunt expendenda, ex mente Ciceronis: cuius sententia est, Respublica non men Universe civitatis est, pro qua mori & nos totos dare & omnia nostra quasi consecrare debemus, Lib. 2. de LL.

Recte tamen hoc loco DD. notant 56.

Primò, Principem legali aliave dispositio-ne privatis qualitum jus tollere, in dubio nunquam profumi: atque idcirco ejus re-scripta, si aliud non exprimant, ita accipienda, ut neminem laedant, eive pra-judicent, c. Super eo 15. junctâ Glossâ V. Intentionis, de Offic. deleg. & l. Prætor art. 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ. Gaill. Lib. 2. obseruat. 58. n. 4. & Pirrhing ad banc Rubr. n. 19.

Secundò, cūm publica necessitatē vel utilitati subveniendum à privatis est, id non re atque operā unius vel aliquorum duntaxat, sed univerorum ciuium pro cūjusque viribus ac facultatibus faciendū; ne, si comunia omnium comoda aliquorum duntaxat incommodō quarantur, aliorum causā alii prægraventur, contra Reg. Non debet 22. in 6.

Tertiò, rem, quæ ejusdem necessitatis vel utilitatis causā privato ablata est, illā cessante restituendam, arg. o. Cūm cesante 60. de Appellat, aut, , si restitui ne-

M 3 queat ;

queat; quod vg. domus, hortus, ager, qui pro munientis mœnibus vel propaginaculis ampliandis privato subtractus est, non extet, ejus jacturam pretii refusione compensandam; ne subditus sine sua culpa invitius re & pretio careat, Felius in c. Cūm in Ecclesiarum cit. n. 29. Laiman. in cit. c. n. 12. & Pirrhing n. 20.

## ARTICULUS V.

De causa ejusdem For-  
mali.

## SUMMARIUM.

- 59. Legislatoris Voluntas communitatii manifestari debet,
- 60. Verbi denotantibus moralem necessitatem.
- 61. Sententia prolatione non satis manifestatur:
- 62. Nisi ea Juris declaratoria,
- 63. Vel sepius & uniformiter iterata sit.
- 64. Scriptura non est de essentiali legis:
- 65. Quae non obligat ante promulgationem:
- 66. Nec, si Imperialis sit, ante lapsum ab illa bimetiſte.
- 67. Statuta locorum particularia,
- 68. Et leges Ecclesiasticae statim obligant post promulgationem,
- 69. Et notitiam:
- 70. Quam non semper exigunt leges irritantes.
- 71. Populi acceptatio in Democratico:
- 72. Non in aliis statibus exigitur ad Legie valorem.
- 73. Lex usus firmatur & conservatur.

59. **F**orma legis est modus sive signa externa, quibus legislatoris eam condensis voluntas manifestatur toti communitatii: quod ad actua-

lem obligationem requiri, res est indubita-  
ta, can. Erit autem 2. diff. 4. & l. Leges 9.  
C. de LL.

Ea autem signa ferè sunt verba: quibus, ut legalis obligatio inducatur, le-  
gislatoris voluntatem duntaxat exprimi, non sufficit; cum, si complacentiam, con-  
fusum, consilium, approbationem vel  
exhortationem solam exprimant, volun-  
tatem quidem legislatoris manifestent,  
legalem tamen obligationem non impo-  
nant: sed exprimi iis debet voluntas  
ejus imperantibus sive obligationem subdi-  
tis imponere intendentis, & imperium sive  
obligationis impositio actualis: qualis  
voluntas denotatur verbis *Præcipimus*,  
*præcipiendo mandamus, jubemus, obliga-  
mus, pre vel inbibemus, vetamus, inter-  
dicimus, teneantur, necesse est, non licet*  
hisque significandi vi æquipollentibus: &  
vel se folis, vel cum aliis, quibus conjun-  
guntur, præcipiendo vel prohibendi a-  
ctuum & moralem necessitatem importan-  
tibus, Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 4. n.  
38. Suarez Lib. 3. de LL. cap. 15. n. 6. &  
Palao Tratt. 3. diff. 1. p. 9. n. 2. Hæc  
satis certa.

Dubium autem & magni momenti 61.  
controversia est, an hujusmodi voluntas  
sufficienter exprimatur prolatione Senten-  
tiae judicialis, ut hæc legis instar custo-  
dienda sit, & in similius casu decisio-  
nibus obſervanda. Id enim cum Felio  
in Rubr. de Reſcriptis n. 1. & Jafone in  
l. 1. ff. de Feſtis n. 23. affirmat Gomez in  
Regul. Cancell. Proœm. q. 2. f. uadēque Jure  
& Ratione; cum id non obſcurè afferatur,  
l. 1. ff. de Constitut. Princip. cuius §. 1.  
Ulpianus Legem effe ait, *Quod Imperator  
cognoscens decrevit, vel de pleno est inter-  
locutus; & in terminis tradi videtur l. fin.*  
C. de LL. quâ relatae Justinianeæ constitu-  
tionis pr. est, *Si imperialis maiestas cau-  
sam judicialiter examinavit, & senten-  
tiā*

*etiam dixit, omnes omnino iudices, qui sub Imperio sunt, sciant hanc esse legem non solum illi causa, pro qua producitur est, sed & omnibus similibus.* Imperiali huic consonat Apostolicum rescriptum Innocentii III. c. In causis 19. de Sent. & re jud. quod, cum in causis iudiciorum Apostolicorum decidendis ordinem Juris accuratè observandum monet, ejus Rationem reddit; *Cum in similibus causis ceteri teneantur similiter iudicare.* Jure non minus perspicua est Ratio; quia sensus ac Sententia Principis est Regula, cui inferiores iudices se conformare omnes debent; *Quis enim tanta superbia fastidio tumidus est, ut Regalem sensum contemnet?* vox est ejusdem Imperatoris p. cit. Id autem, cui omnes se conformare debent, vim legis habet.

Contra, ejusmodi Sententiae legem induci, negant Covarruvias p. 1. de Sponsal. cap. 7 §. 4. n. 15. & cit. Suarez cap. 15. n. 16. partibus nixi fundamentis; cum non minus clara Theodos. & Valent. Impp. Constitutio Regiaque vox sit. *Quae ex relationibus & suggestionibus iudicantium procerum introducto negotio statuimus, generalia jura non sunt: sed leges faciunt his duntaxat negotiis atque personis, pro quibus sunt promulgatae,* l. 2, C. de LL quacum conspirat Constitutio Canonica c. Quamvis 25. pr. de Sent. & re jud. Rationem reddunt partim; quod Sententia causa definitiva non attendat commune, sed particulare bonum partis, & plerumque ex specialibus causis ortum ejus jus declareret: non autem, ut leges solem, aliquid decernat in futurum: partim vero; quod Sententia principis, in causa decisione propriæ opinioni inherentis, obnoxia aliquando sit errori Juris; cum istò aperte laborarent summorum Pontificum, fidelium conjugium ratum, superveniente con-

summato, & hujus etiam vinculum coniugum alterius heretici vel Apostoliam disfollvi, pronuntiantium Sententiae, quarum Alexander & Innocentius uterque IIII. c. licet 3. in fine de Sponsa duor. Ec. Quanti 7. V. Nec igitur de Divorti meminerunt. Accedit; quod Sententiae sape nitantur Jure speciali & particularibus circumstantiis, in earum pronuntiatione sape non expressis: & propterea non raro similius causarum decisiones apparent dissimiles; ut, si legis vim omnes haberent, ingens iurium non multitudo duntaxat, sed incertitudo quoque & confusio foret.

In hoc DD. dissidio utrique Opinio- ni aliiquid tribuendum, & Sententiae à Legislatore latè vis legis, non indiscriminatim omnibus, sed iis duntaxat adstruenda est, quia non solum decisivæ, sed juris etiam declaratoriae sunt; quod v. g. eum, quem decisio amplectitur, legis à se vel antecessore suo latè verum sensum esse, vel pro jure habendum; aut istius Corpori inferendum, ipsa Sententia (aut etiam Principis rescripto) exprimatur: vel quibus, si decisivæ tantum sunt, super eodem juris articulo saepius eodem semper modò est pronuntiatum; qui hujusmodi Sententiarum uniformitate inducitur Stylus Curiae: qui Jus facit, c. Quam gravi 6. de Crim. falsi. Quare pro lege Sententiae à legislatore latè autoritate allegata jura de Sententiis, non meram causæ decisionem, sed Juris quoque declarationem vel constitutionem continentibus, aut saepius & uniformiter semper iteratis sunt exaudienda.

Dubium secundò est, an ad valorem, legis necessaria sit scriptura. *Quod Albericus de Statutis p. 1. q. 14.* & alii à Felino ad hanc Rubr. n. 3. relati affirmant partim; quod §. *Constat 3. Instit. de J. N. G & C. Jus dividatur in scriptum, quod idcirco Lex scripta nuncupatur, can. Lex.*

cit 3.

*est 3. diff. 1. & non scriptum seu Consuetudinem: quæ, licet scripto mandari etiam ipsa possit, id tamen non requirit,*  
*S. Sine scripto q. Instit. ibidem & cān.*  
*Consuetudo s. diff. cit. partim verò;*  
*quòd lex debeat esse permanens & stabilis;*  
*cùm referatur ad communitatē permanentē;* ad quod signum stabile, ut scriptura est, requiri: & transiens, sicut vox v. g. Praconis est, non sufficere videtur.

Verum, licet modus ferendi legem  
**64.** optimus & usu maximè receptus sit scriptura, hanc tamen ad ejus valorem exigi, negant Felinus l. cit n. 4. Panormit. ad eandem Rubr. n. 3. Selua de Benef. cap. 22. n. 14. Suarez. Lib. 1. de LL. cap. 11. in fine & Laiaman Lib. 1. tract. 4. cap. 2 n. 2. cum Aristotele 10. Ethic. cap. 9. quò locò Scripta fin., inquit, leges, an non scripta nihil referre videtur. Idem desumitur ex can. Institutionis 17. jun. Et à Glossa V. Presentia 25. q. 2. Ratio est; quia scripturæ necessitas non probatur ex natura ipsius legis: ad cuius valorem per se, hoc est, lege, statutò vel Consuetudine seclusa, plus non exigitur, quam ut legitimi conditoris rationabilis voluntas innoteat communitatē: quod per hominis vocem & alia signa fieri posse, patet ex præceptis, tempore nascentis Ecclesiæ lati à Christo & Apollonis; horum enim multa non scripto, sed vivæ vocis Oraculo & prædicantium linguis tradita, promulgataque fuere. Eadem necessitas expressa non est Jure positivo; cùm nullum extet: & allegati textus plus non evincant, quam Constitutiones frequentius & convenientius per scripturam fieri. Neque plus eruit ex stabilitate; ad hanc enim, licet multum conferat, necessaria tamen scriptura non est; cùm lex sine ea per traditionem conservari valeat, & ab uno ad alium propagari.

**65.** Dubium tertio est, an lege obligen-

tur, quibus ea privatim innoteat. Quod licet aliqui afferant, communiter tamen DD. negant, & negandum suadet tex-  
tus l. Leges cit. quā Imp. Valentini, & Marciatus, Leges sacratissime, inquit, qua constringunt hominum vitas, intelli-  
gi ab omnibus, hoc est à communitate, debent, quod fit per publicam promulga-  
tionem. Ratio est; quia lex, sicut non  
privatō commodō, sed pro communi  
utilitate, can. Erit autem 2. diff. 4. Sic  
etiam immediatè non privatis ac singulis  
fetur, sed communiat: atque idcirco  
singulos obligare non potest, nisi obligare  
valeat communitatē. Cū ergo hanc ob-  
ligare non possit, antequā ipsi innoteat,  
non obligabit singulos, etiam quib⁹ priva-  
tim innotuit, antequā innotuerit com-  
munitati, Suarez Lib. 3 de LL. cap.  
16. n. 2, & Pirthing, ad banc Rubr. n. 26.  
ubi uteque notat c. 1. de Postulat Præl.  
cūm ad Legis observantiam obligatur,  
Qui noverit, eam solenniter editam aut  
publicè promulgatam, particulam disjun-  
ctivam. Aut sensum copulativum facere;  
ac proinde, prater solemnum editionem in  
Curia, etiam publicam promulgationem  
necessariam esse. Unde Menoch. de Ar-  
birr. jud. cas 18. n. 22. existimat, absque  
injustitia vendi frumentum, aut pecuniam  
expendi ab eo, qui illius pretium, &  
istius valorem minuendum, privatā scien-  
tiā novit: licet contrarium cum Bartolo  
in l. Quaro 30. ff. de Act. empi defendat  
Felinus in c. Cognoscentes 2. n. 6. limit. 2.  
let ex

let ex Novell. 66. Rubrica, Ut factæ nova  
constitutiones post insinuationes eorum  
post duos menses valeant: qua Nigrum,  
sive Rubro huic subjectus textus, de  
Testamentaria loquens, extenditur ad  
legem quamcumque, ad mentem Glossæ  
& ICTORUM. Rubrica authoritatem tex-  
tus fere tribuentum & particularem isti-  
us dispositionem juxta illius generali-  
tatem extendentum, quando extensi-  
turi non repugnat, & secum aliud absurdū  
non trahit, ut dictum in Proæmio n. 98.

67. Dixi autem Imperiales; quia im-  
primis cit. Novella ejusque Rubrica lo-  
cum non habet in Regnis ac provinciis,  
Romano Imperio non subjectis, arg. 1.  
fin ff. de Jurisdic. &c. fin. hac Rubr. in  
6. Deinde; quia etiam in Imperio à  
Principibus vel Communitatibus inferio-  
bus Condita statuta Provincialia & Mu-  
nicipalia ( eadem Ratio est statutorum  
Diocesanorum ) ferè statim obligare sol-  
lent, quando in primaria provincia vel  
civitatis curia, aliòve loco consueto sunt  
publicata, Sylvester V. Lex q. 3. & 6. &  
Suarez cit. cap. 16. n. 7.

Leges autem Ecclesiasticas univer-  
sales obligare primum incipere post lap-  
sum duorum mensium, à promulgatione  
facta in Episcopatibus, cum Glossa  
in c. Cognoscentes cit. V. Ante prohibitio-  
nem Felino in c. cit. n. 7, docent Navar-  
rus Manual. cap. 23. n. 44. & Sotus Lib.  
1. de Justitia q. 1. art. 4. persuasi textu  
c. Cum insinuitas 13. de Panit. & Remis.  
ad suæ dispositionis observantiam. Medi-  
cos non obligant: nisi postquam per  
Prælatos, id est, Episcopos est promul-  
gata. Rationem reddit; quod, ubi  
Jus Canonicum, ut in præfenti, nihil di-  
ponit, observandum sit Civile, arg.  
c. 1. de Novi oper. num. præsertim circa  
obligationem legum Ecclesiasticarum:  
qua, si juxta Imperiale Constitutione-

nem inchoetur, multum commendat Ec-  
clesiasticæ gubernationis suavitatem.

68.

Sed verius est, Fideles per se Con-  
stitutionibus Apostolicis & aliis Legibus  
Ecclesiasticis obligari statim, postquam  
publicatae in Curia Romana, & in acie  
campi Floræ atque ad valvas Basilikæ  
Apostolorum affixa sunt, & pro publi-  
catis habentur in Cancelleria, ut cum  
Panormit, in c. Noverit 49. defens. Ex-  
com. u. 3. sustinent Sylvester q. 6. cit.  
Suarez Lib. 4. cap. 15. n. 3. Menoch. de  
Arbitr. jud. casu 185. n. 8. & Barbosa  
in c. Cognoscentes cit. n. 10. Ratio est  
partim; quia talis publicatio ex natura  
rei sufficit ad valorem legis Civilis: qua, si aliud constitutum non esset, per se sta-  
tim obligaret à promulgatione. Cur  
id non sufficiat ad valorem Ecclesiasticæ?  
cujus ferendæ potestas, quia immediate à  
Deo accepta est, à populo minùs pender:  
partim verò; quia multæ leges Decre-  
talium, Clementinarum & Extravagan-  
tium, sicut & Bulla Cænæ multæque con-  
stitutiones Apostolicæ & Regulæ Can-  
cellariæ promulgatae non sunt in provin-  
ciis, in quibus obligant. Et demum  
partim etiam; quia summi Pontifices,  
quando ob speciales causas volunt, ut  
Constitutio aliqua in Episcopatibus pub-  
licetur, & certò primum tempore obli-  
gare incipiat, id exprimit in ipsa Con-  
stitutione, ut patet ex relata c. Cùm infir-  
mitas cit. quā Innocentius III. post pro-  
mulgationem ab Episcopis factam: ex c.  
Cùm singula 32. de Prabend. & dignit. in  
in 6. cuius dispositionem Bonifacius VIII.  
unò duntaxat: & ex Concilio Tridentino,  
quod tribus mensibus post promul-  
gationem obligare voluit Pius IV. in  
Bulla, qua habetur eff. 25. in fine. Un-  
de à contrario colligitur, constitutiones  
quibus id non exprimitur, obligare sta-  
tum à promulgatione: quod confirma-  
tur ity-

N

tur ity-

tur stylo seu' praxi Curiæ Romanæ , Constitutionum Apostolicarum , dictō modō promulgatarum , transgressores in foro Judiciali statim , bimetri non expeditatō , punientis , teste Navarro apud cit . Suarez cap 16. n. 17.

69. Dixi Per se , hoc est , quantum est ex vi legis ; qui ob defectum alicuius conditionis accidentalis , scilicet notitiae , contingit ; ut particularium dicecesium subditi lege Romæ promulgata in actu secundo non obligentur , donec ipsa innotescat : nec solum uni , sed pluribus subditis communis diccesanæ . Unde ejusmodi lege in actu secundo prius Itali , quam Germani : & hi ante Belgas Anglos , Polonus obligantur arg . c. i. § . Dicebat v . Nec obstante de Concilij preb . non vac . in 6 . cuius notabilis textus est , Lex seu constitutio mandatū nullos adfringunt , nisi postquam ad notitiam pervernerint corundem , aut nisi post tempus , intra quod ignorare minimè debuissent , Suarez Lib . 3 . cap . 15 . n . 6 . Sed hinc .

70. Dubium oritur quintō de lege , a- dum vg . contractum destitutum certa solennitate , vel inter certas personas irritante : quam , si Civilis , post lapsum bimetre : si vero Canonica sit , à promulgatione Romana vim etiam respectu ignorantium statim habere , volunt Panormit in c . Cognoscentes cit . n . 7 . & . Me- noch . l . cit . n . 2 .

Sed melius alij , licet legi vim hanc conferri à Papa posse agnoscant , casu tamen , quō actus statim à promulgatione pro nullis habendos non exprimitur , distinguunt ; vel enim , inquit , lex irritat actum , qui alias , spectato Jure Naturali , subsisteret : vel actum , de quo disponendi Papa liberam habet potestatem vg . beneficii resignationem vel collationem ? Si prius , lex saltem ex æquitate vim in actu secundo non habet , pri-

usquam in dicecessibus sit nota ; aut saltem innoscere moraliter possit . Ratio est ; qui alias ejusmodi lex plurimum obesset ; cederet enim in damnum multorum , qui ita invalidē celebrarent ejusmodi actus vg . matrimonium , propterea cum gravi damno proprio & aliorum scandalo disolvendum . Si posterius , lex vim ubique habet statim , postquam in Curiæ est promulgata , saltem si clausulam Ex nunc habeat insertam , Suarez Lib . 5 . cap . 33 . n . 7 . & 8 . Laiman Lib . 1 . Tract . 4 . cap . 2 . n . 7 . & Pirrhing ad hanc Rubr . n . 36 .

Dubium sextò est de populi acceptatione : à qua legum Civilium valorem pendere in Democratiis , patet ; quia in his potestas legislativa saltem ex parte est penes populum , qui decretis à senatu factis intercedit .

In aliis etiam Statibus eam ad valorem cujuscunque legis cum Glossa in e . 1 . V . Frangere de Treuga requirunt Navarrus cit . cap . 23 . à n . 40 . & Covarruvias Lib . 1 . var . cap . 16 . à n . 6 . Moventur imprimis autoritatem Gratiani , qui § . Le- ges post can . In istis 3 . dift . 4 . Leges , in- quia , consituuntur , cum promulgantur : firmantur , cum moribus utentium appro- bantur : & l . De quibus 32 . ff . de LL . cuius § . 1 . Julianus IC Tū ait , Ipse leges nullā alia ex causā nos tenent , quam quoddū judicio Populi recepta sunt . Deinde de praxi ; quia leges Reformatoriæ Tri- dentini in Gallia & alibi , atque etiam in Germania nostra plures Bullæ Apo- stolicæ obligare non videntur , ob defec- tum solius acceptationis . Demum Ra- tione ; quod leges à legislatoribus pra- sumantur latè sub tacita conditione Ac- ceptationis ; quia hic modus suavior & aptior est populo , ad cuius bonum leges feruntur .

Sed verius est , ejusmodi acceptatio- nem ad

nem ad legis valorem non requiri, nisi aliud ipsa legi exprimatur, vel privilegio & Confuetudine sit receptum: quod cum Castro Lib. 1. de Lege penal cap. 1. Suarez cit. lib. 3. cap. 19. n. 4. Laiman cit. strit. 4. cap. 3. n. 1. & aliis defendant Barbosa in can. In iſtu cit. n. 6. Pagnanus in c. 1. cit. à n. 50. id à Rota decisum, afferens n. 55. & Bonacina Tom. 3. dif. 1. q. 15. §. 5. Ubi à Papa, hac de re interrogato, explosione dignam habitam fuisti, refert Opinionem, quæ ad Apostolice Constitutionis obligationem exigit acceptancem.

Quidquid autem de hoc sit, Ratio Resolutionis est; quia ex una, legislator sufficientem potestatem habet, subditos lege latâ absque eorum acceptatione obligandi arg. can. 1. dif. 20. can Cuncta 9. q. 2. §. sed & 6. Inst. de I. N. G. & C. & l. 1. ff. de Constitut. Princip. Ecclesiasticus quidem; quia potestatem legislativam absolutam immediatè à Deo habet juxta dicta n. 21. Civilis autem, saltem supremus; quia potestatem in illam habet, vel jure belli, vel electione Populi: qui plenam potestatem in Principem transstulisse, præsumitur ex eo; quod publicè expediāt; ut iusta leges à subditis recipiantur sine tergiversatione; cùm, si his tergiversari liceret, legislativa potestas neque absoluta neque efficax foret, facilè cum suprema potestatis iudicio effectu suo frustraretur. Ex altera verò parte, quod legislatores subditos suos obligare velint, patet ex ipsis verbis legum, absolute aliquid præcipientium vel prohibentium, & valorem suum non adstringentium acceptationi: atque ex usu recepto, quod sacri prophanique legum conditores earum obligationem itatim urgere, & in primos transgressores animadvertere solent.

Ex his planè corruit ratio in con-

trarium: quæ, si vim haberet, non Solus Imperator aut etiam Papa: sed cum ipsis & suus Legislator foret ipse Populus, sibi latâ Legi vim obligandi conserens per acceptationem: quod à vero alienum & absurdum esse, docet textus c. Ecclesiast. 10. ibi Quos obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi.

73.

Neque urgent textus; quia eos non de prima obligatione, sed Legis jam obligantis firmitate seu stabilitate accipientes, defumitur ex verbis Firmantur & Teneant; cùm enim Leges oblivione extolescere, & non usu usuive contrariò cum tempore tolli possint, arg. c. fin. de Conuent. clarum est, ad earum firmitatem seu stabilitatem exigi, ut uterum moribus & observantia sint approbatæ.

Neque etiam obstat Praxis contraria; quod enim aliqua decreta Reformatio-ria 5. Synodi Tridentinæ non obligent in Gallia, factum est; quod earum observatio difficultates majores habere visa sit Gallicanæ, quam Nationibus ceteris. Unde, cùm sciente & dissimulante Papa non observarentur, tandem contra ea est præscriptum. Idem ferè accidit aliis Constitutionibus Apostolicis: quæ aliquibus provinciis aliquando nimis graves erant: aliis propter casuū infrequentiam rarum aut vix ullum usum & non magnam utilitatem afferabant. Unde factum, ut venerint in oblivionem: vel ad tales provincias non extendi, vobligandi vim Confuetudine amissæ videantur.

### ARTICULUS VI.

#### De Effectu Legis.

##### SUMMARIUM.

74. Effectus Legis est obligatio, etiam Conscientia,  
Na

75. Quam-

75. Quamvis ea sit Humana:  
 76. Saltem, si velit Conditor & materia  
     sit gravis.  
 77. Ad rem gravem leviter obligare  
     Lex & Votum potest.  
 78. Dantur leges merè Pnales.  
 79. Signa iis induitæ obligationis Con-  
     scientia.  
 80. Metus mortis &c. transgressionis  
     culpam minuit:  
 81. Non tollit, si res intrinsecè sit mala.  
 82. Secus est in aliis:  
 83. Nisi observantia necessaria sit Rei-  
     publicæ,  
 84. Aut violatio afferat scandalum vel  
     contemptum Religionis.  
 85. Lex fundata in præsumptione, cùm  
     hæc vera:  
 86. Aut etiam dubia:  
 87. Non etiam, cùm præsumptio falsa  
     est, in conscientia obligat.  
 88. Nisi post sententiam judicis.  
 89. Vel Lex fundetur in præsumptione  
     periculi Universalis,

74. **E**ffectus Legis est obligatio: quâ, si Lex Naturalis aut Divina sit, ipsas hominum conscientias & sub peccato adstringi, res apud Orthodoxos est indubitatea. Merit humanæ, etiam Ecclesiastica, Gerson de Vita Spirit. p. 3. lett. 4. Alphabet. 62. & saltem Civilii lege ejusmodi obligationē induci, negat Almainus de Po- test. Eccles. cap. 12. cùm propter illud Apostoli, Lex iusto non est posita, 1. Ti- moth. cap. 1. V. 9. & definitionem S. Au- gustini, Peccatum esse afferentis, Dictum, factum vel concupitum contra vel præter legem Dei, non merè humanam: tum ve- rò; quod peccati mortalis poena sit infer- nalis: quæ ab homine nec infligi, nec im- ponipotest.

75. Sed omnino certa D. Thomæ 1. 2.

q. 96. art. 4. Navarri Manual. cap. 27. n  
 34. Sotí Lib. 1. de Jusitia q. 6. art. 4.  
 Suarez Lib. 3. de LL. cap. 21. n. 5. & cæ-  
 terorum TT. pariter ac ICT'orum fenten-  
 tia est, etiam humanæ, tam Civilis quâ  
 Canonica, legi Conscientiae obligatio-  
 nem induci, si ejus conditor velit; quia  
 legislator humanus, etiam Civilis, tan-  
 quam minister Dei, & accepta ab eo po-  
 testate leges condit, juxta illud, Per me  
 Reges regnant & legum conditores iusta de-  
 cernunt, Proverb. cap. 8. V. 11. &, Au-  
 ditte Reges, quoniam data est à Domino  
 potestas vobis, Sapient. cap. 6. v. 4.  
 Non enim est potestas nisi à Deo, Roman.  
 cap. 13. v. 1. atque idcirco iustis Princi-  
 pium præceptis obediendum est ex volun-  
 tate Dei, testibus Apostolorum Principi-  
 bus: B. Petro, qui Subiecti, inquit, efso  
 omni creatura propter Deum sive Regi &c.  
 quia sic est voluntas Dei, 1. Petri cap. 2.  
 v. 13. S. Paulo, cùm ait, Omnis anima  
 potestatisibus sublimioribus subdita sit, Ro-  
 man. cap. 13. V. 1. idque non solum timo-  
 realicju poenæ temporalis ab ipso infli-  
 genda: sed etiæ peccati vitandi causâ: ut  
 patet ex ipsius Apostoli verbis, homines,  
 subditos esse jubentis, non solum propter  
 iram, sed etiam propter conscientiam, ibi-  
 dem V. 5. cùm, qui potestati resistit, Ordin-  
 nationi Dei resistit: qui autem bui resi-  
 stunt, damnationem sibi acquirant, v. 2.  
 Quæ Conscientiae obligationi op-  
 ponuntur, levia sunt. Primum, ex pro-  
 nuntiato Apostolico, 1. Timoth. cap. 1.  
 v. 9. depromptum; quia, elto, lex ad  
 coercendos injustos potius quâ justos fe-  
 ratur, semel tamen promulgata etiam ju-  
 stos obligat, tanquam directio potius  
 quâ onus; cùm ea, quæ legis sunt, na-  
 turalizet, hoc est, naturâ ipsos ad bonū &  
 ad legis præcepta implenda inclinante,  
 faciant, Roman. cap. 2. V. 15. &, lege de-  
 ficiente, sibi ipsi sint lex, teste cōdē cap. 2.  
 V. 14.

V. 14. ut textum illum S. Augustinus, Fulgentius & alii apud Cornelium à Lapide in Vers. cit. §. Quinđ melius exponunt.

Alterum, desumptum ex peccati definitione Augustiniana; quia, ut testimoniū Apostolicō demonstratum est, etiam humana legis transgressio est contra legem Dei eam, tanquam legitimi Magistratus praeceptum, praeipientis observari, loc. cit. uti & illō Domini Dei, Samueli Prophetæ dicentes, *Non te abjece-runt, sed me, Lib. 1. Reg. cap. 8. v. 7. &c. Qui vos spernit, me spernit, Lucæ cap. 10. V. 16.*

Postremum, petitum à poena infernali; quia, licet sub ista directe obligare nequeat Legislator humanus, id tamen potest indirecte, hoc ipso; quod humanae Legis transgressione violetur lex Divina, ab humano superiore præcepta observari præcipiens sub comminatione poena infernalisa, Suarez cit. cap. 21. n. 13.

Dixi, *Si Legislator velit: & addo,*  
**76.** *Si materia sit gravis; quia, ut humana etiam lege Conscientia gravis obligatio inducatur, à Medina de Jejunio q. 7. §. Supereft & aliis, præter voluntatem si- vi imperium legislatoris graviter obli-gantur, requiritur; ut materia, non nudè & in se præcise, sed cum omnibus cir-cumstantiis, fine præsertim & condu-cientia ad bonum publicum, consideratis, sit gravis & tanta obligationis capax, Suarez Lib. 3. cap. 25. n. 2. Sanchez Lib. 1. Moral. cap. 4. n. 3. & Laiman Lib. 1. tract. 4. cap. 14. n. 2. Unde*

Dubium nascitur, an legis, cuius materia gravis est, obligatio levis esse possit ex sola voluntate Legislatoris, gravem obligationem imponere nolentis. Negant id Bellarmin. Lib. 3. de Membr. Ecclesi. milit. cap. 11. & Vasquez disp. 118. cap. 3. cùm; quòd res, quæ om-

nibus circumstantiis consideratis levis est, præcipi nequeat sub obligatione gravi: tum verò; quòd voti, cuius ma-teria gravis est, obligatio levis nequeat esse. Contrà & melius Navarrus Ma-nual. cap. 23. n. 32. Castro de Lege Pa-ronal. cap. 5. docum. 4. Medina §. Supereft cit. laudatus Suarez cap. 27. n. 7. Salas disp. 16. de LL. n. 71. eōsque secuti RR. alii affirmant, eā præcipue persuasi ratione; quòd omnis obligatio legalis in-ducatur voluntate Superioris: quæ re-spectu gravis obligationis desideratur, quoties Superior expreſſe leviter dunta-tat obligare iubeditos intendit; quia actus agentium non operantur ultra intentio-nem eorum, I. Non omnis 19. ff. de Reb. credit. &c. fin. de Prab. & dignit. Con-firmit hoc Praxis variarum Religionum, in quibus materia, ex se sufficiens ad obli-gationem gravem, sub veniali duntaxat peccato præcepta vel prohibita est; sic enim PP. Carmelitarum discaleatorum Regula, inhibens eum carnium: & in aliis Ordinibus Religiosis alia, vg. auditio-nem quotidianam Missæ (quam, uti & abstinentiam à carnis gravem materi-am esse, patet ex præceptis Ecclesiasticis, ad illam diebus Dominicis ac festivis au-diendam & ab istarum eū diebus Vene-ris ac Sabbathi abstinentium, fideles gra-viter obligantis) sub veniali duntaxat culpa præcepta, ex illorum Superiori-bus à se intellectum, Arriaga testatur disp. 16. de LL. n. 74. & de quibusdam aliis Religiosis familiis ex earum Consti-tutionibus ostendit cit. Suarez n. 12.

Rationes in contrarium exiguum vim habent. Prior. partim; quia ad gravem obligationem inducendam legis-latoris voluntas & materiæ gravitas re-quiruntur simul; ac proinde harum al-terâ deficiente cessat: partim verò; quia obligatio gravis ad præstandam vel omit-tendam

tendam rem, omnibus consideratis le-  
vem, nec justa nec utilis est communictati,  
quam adstringit: quod tamen ad omnem  
legem justam exigitur, can. Erit autem  
tex 2. disp. 4. Posterior; quia, cum vo-  
ti obligatio pendeat à voluntate & inten-  
tione voventis, istò ad rem gravem, ali-  
unde non præceptum, sub culpa solùm  
venialis si obligante, etiam votum gra-  
vem obligationem non inducet, Suarez  
Lib. 4. de Voto cap. 4. n. 7. & Sanchez  
Lib. 1. de Matrim. disp. 9. n. 6.

78. Dubium secundò est, an dentur le-  
ges merè penales. Ratio dubitandi  
obvia est; quia pena ab Ulpiano ICTº  
esse dicitur Noxe vindicta, l. Aliud 131.  
pr. ff. de V. S. cui accedit S. Augustinus  
Lib. 1. Retraç. cap. 9. quò locò difertur,  
Omnis pena inquit, Si justa est, pecca-  
tipena est & supplicium nominatur. Sed,  
esto, hoc de pena strictè accepta verum  
sit, eaque propriè & strictè dictam cul-  
pam supponat, c. Cognoscentes 2. latius  
tamen & pro quoque incommodo vel  
damno justè lubeundo accepta, licet cau-  
sam, ejusmodi tamen culpam necessariò  
non præsupponit, secundum Glosam in  
e. cit. V. Culpa caret: & Regulam, Sine  
culpa, nisi causa sub sit, nemo est puniendus,  
qua est 23. in 6.

Quare leges merè penales, sive  
Constitutiones humanas, subditos, ad  
non cædenda ligna, frumentum non ven-  
dendum, certò tempore non loquendum  
&c. vel, si horum aliquid faciant, ad in-  
commodum vel alicujus rei jaeturam aut  
privationem subeundam obligantem dari,  
cum cit. Navarro n. 55. & DD. aliis  
recte concedit Miranda Tom. 2. Manual.  
Pralat. q. 25. art. 18. conclus. 2. Ra-  
tio satis perspicua est; quòd ex una, sic  
obligandi intentionem habere valeat le-  
gislator: ex altera verò parte, istius in-  
tentioni obligatio commentaretur arg.

I. Non omnis &c. fin. cit. Confirma-  
tur exemplis, sic enim in Religione Prä-  
dicatorum quarundam Regularum trans-  
gressio nec mortaliter nec venialiter pec-  
caminofa, sed solūmodo statutæ penæ  
obnoxia est, teste Angelico ejus Ordinis  
Doctore 2. 2. q. 186. art. 9. eadémque  
ratio est non paucarum infima nostræ  
Societatis, teste cit. Suarez cap. 27. n. 12. 79.

Porro, sub gravi culpa & non solà  
pena obligare lex censetur non tantum,  
si illius transgressione ejusmodi reatum  
contrahi ipsa exprimatur, vel aliunde  
vg. ex communi sensu DD. aut aliorum  
hominum publica excommunicatione constet:  
sed etiam, si materia sit gravis, eámque  
sub levi culpa vel pena tantum incur-  
renda præceptam, non exprimatur: Si,  
cum materia gravis est, utatur verbis fe-  
riò præceptivis, vg. Præcipimus, manda-  
mus, jubemus, inhibemus veramus, te-  
neantur, non liceat &c. si transgressoribus  
infligat aut infligendam decernat ex-  
communicationem majorem aliamve gra-  
vem censuram: Irregularitatis, Deposi-  
tionis, privationis sepulturæ Ecclesiastis-  
ca, aliamve ejusmodi penam spiritualem:  
si aliquid, ad publicum bonum promo-  
vendum aut hujusmodi incommodum  
propulsandum multum conducens, præ-  
cipiat vel prohibeat, & præcepti vel pro-  
hibitionis transgressoribus corporalem  
aliamve gravem penam temporalem mi-  
nitetur, ut rem hanc per quam eruditè ac  
solidè explicant cit. Suarez Lib. 5. cap.  
3. n. 6. Bonacina de LL. disp. 5. q. 1. p. 6.  
§. 4. à n. 3 & Palao Tratt. 3. disp. 1. p.  
15. à n. 2. Unde 80

Dubium oritur tertio, an Leges  
obligent, si cum gravi periculo vita vel  
alterius valde gravis jaeturæ ejus obser-  
vantia sit conjuncta.

Certi & explorati juris est, hujus-  
modi gravis mali; ex Legis observantia se-  
cutori

cuturi, metu extorta transgressionis cul-  
pam saltem minui, per expressum textum  
e. Sacris 5. ibi *Licer metus extenuet cul-  
pam, de his, qua vi meruisse; qui agra-  
vis metus, licet non tollat, tamen dimi-  
nuit libertatem ad culpam requisitam,*  
*Sylvester V. Metus q. 3.* An autem &  
quando ejusmodi mali metus à culpa om-  
nino excusat, planum reddet distinctio in-  
ter actiones & omissiones Legibus pro-  
hibitas & praecptas.

**§1.** Et primo quidem, si ista, ut vg.  
blasphemia, perjurium, mendacium, adul-  
terium, directa occiso innocentis & alia  
Naturali jure prohibita, intrinsecè malæ  
& illicitæ sunt, legem eas prohibentem,  
etiam vitæ periculo & alterius quanti-  
cunque mali metu non obstante, obliga-  
re, clare colligitur ex can. *Ne quis. 22. q.  
2. &c. Sacris cit. ibi, Cūm pro nullo  
metu debeat quis mortale peccatum incur-  
vere.* Ratio est, quia hujusmodi actio-  
nes, eō ipso; quod intrinsecè malæ; ac  
proinde peccaminosæ semper sint, omni-  
bus aliis etiam maximis, malis sunt ma-  
jora, teste S. Augustino *de Civit. cap.  
18. can. Itane 32. q. 5.* relatō.

**§2.** Secundo, si verò actiones vel omis-  
siones, ut vg. communicatio in humanis  
cum excommunicato, cometatio earnis die  
Veneris, auditio sacri diebus Dominicis  
festisque, recitatio horarum Canonica-  
rum, intrinsecè malæ non sint, mortis aut  
ejusmodi gravis mali metus à legis, eas  
prohibentis vel præcipientis, observa-  
tione regulariter excusat: ut ex variis,  
Sacrarum etiam paginarum, testimonis &  
sanctionum Ecclesiasticarum exemplis  
constat; sic enim, fami necessitate ur-  
gente, David panes Propositionis, laicis,  
Numer. cap. 18. à V. 10. prohibitos com-  
mitit, *Lib. 1. Reg. cap. 21. V. 6.* junctō  
Matth. cap. 12. v. 3. sic Macchabæi, ad  
vitæ defensionem Sabbathis pugnantes,

excusantur *Lib. 1. Macchab. cap. 2. V. 4.* sic  
Discipuli Christi, ut famem pellerent,  
Sabathò spicas vellebant, *Matth. cap. 12.  
v. 1.* idque sine reatu culpæ, *can. Discipulos  
25. dif. 2. de Consec.* sic propter eandem fa-  
mis aut infirmitatis necessitatē carnes die-  
bus alias prohibitis sine peccato comedи,  
e. *Consilium 2. de Observat. jejun.* & vitæ  
subsidia cum excommunicato commu-  
nicando procurari possunt, *can. Quo-*  
*niam multos 11. q. 3. &c. Inter 31. de  
Sent. Excom.* sic præceptum diebus fe-  
stis Missam audiendi, recitandi horas &  
similia cum salutis corporalis detrimen-  
to non obligare, ex communi aliorum  
senſu tradit laudatus Suarez *Lib. 3. cap.  
30. n. 6.* Ratio est; quia ejusmodi le-  
ges ex legislatoris mente & intentione  
ad relativos eisque similes casus se non ex-  
tendunt.

Obstare huic doctrinæ videri potest **83.**

e. *Sacris cit. textus, quō, etiam gravis  
mali metu non obstante communicatio  
cum excommunicato graviter peccami-  
nosæ censetur. Sed revera non obstat;*  
dixi enim, *Regulariter;* quia etiam ejus-  
modi leges, non obstante vitæ, statū ho-  
norifici aut fortunarum amittendarum  
periculō, obligant, quando earum ob-  
servantia necessaria est ad bonum publi-  
cum stabilendum aut grave malum ab ea  
avertendum, *præsertim,* quando earum  
transgressio afferret scandalum, vel cede-  
ret in Christianæ & Catholicae Religio-  
nis vel potestatis Clavium aut disciplinæ  
Ecclesiasticae contemptum: in quem cùm  
Ecclesiastica sepultura excommunicato-  
rum aut interdictorum, ex qua e. cit.  
propositum dubium oriebatur, aperte  
redundaret, rectè legem Ecclesiasticam,  
eorum sepulturam prohibentem, etiam  
cum vitæ dispendio, observandam, In-  
nocentius III. respondit e. cit. ut ibi eru-  
dite obseruat Gonzalez n. 10. Ratio est;  
quia ta-

quia talis communicatio cum excommunicato intrinsecam malitiam includit; ac proinde non humanæ solū, sed Naturalis legis prohibitioni aduersatur, Auctor p. 1. *Instit. Lib. 1. cap. 11. q. 1. §. Ad argumenta & Suarez de Censur disp. 6. f. 3 n. 11.*

Dubium quartò &, sicut magni in praxi usus, sic ad multarū utriusque Juris decisionum vim intelligentiam perquam utilis controversia est de lege, fundata in presumptione, v. g. fraudis, culpæ, damni &c. an in conscientia obliget: in quo

**85.** Certum est, legem ita obligare, quando presumptionio est vera, & legislator ita obligare intendit; cùm, sicut omnis humana sic vel maxime legislativa potestas sit à Deo, cuius ille vices gerit; atque idcirco ei non solū propter iram, sed propter Conscientiam quoque parendi necessitas sit, ex monito Apostoli Roman. cap. 13. V. 5.

Quare dubium solummodo procedit casu, quō presumptionio, quā lex nititur, est falsa. In quo plurimū interest, utrum lex fundetur in presumptionione alicuius facti, vg. fraudis, negligentiæ, culpæ, damnificationis &c. in quolibet casu particulari intervenientis: an verò in presumptionione periculi, sēpe committendæ fraudis, negligentiæ &c. nisi legalis aliqua cautio generaliter adhibeatur.

**86.** Priori etiam casu, sive cùm lex fundatur in presumptione fraudis, culpæ, damnificationis, in quolibet particulari casu intercedentis, multū referit, an presumptionem esse falsam, sive fraudem, culpam, damnum &c. qua lex presumit, non interveniente constet, vel non; Cùm casu, quō de ejusmodi presumptionis falsitate non constat, legem in Conscientia obligare, inter plerosque DD. fatis conveniat; cùm, enim quod lex justè presumit, pro veritate habeat,

tur, donec constet de contrario, ejus obligatio, qua datur, cùm presumptionio est vera, non cessabit, donec falsitas liqueat aut probetur; quia quamdiu ista dubia, lex in possessione; ac proinde ejus conditio melior est, arg. Reg. In pari 65. in 6. Unde, qui post Professionem, ob ætas vel alium defectum invalidē emissam, quinquenniō perseveravit in Religione, ab ista recedere nequit, si eum, qui à S. Synodo Tridentina Seß 25. cap. 19. de Regulari, presumitur, professionem ante invalidē editam ratificandi animum defuisse, non sciat, Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 39. n. 10. & alii apud Barbolam, in cap. 19. cit. n. 13.

Casu autem, quō presumptionem esse falsam, vg. fraudem, culpam, damnificationem, quam lex presumit, non interveniente, certò constat, in hujusmodi ejus presumptione fundata lex saltem ante sententiam non obligat, ut cum licentio in c. Quia plerique 8 de Immunit. n. 3. Panormit. in c. Is qui fidem 30. de Sponsal. & marrim. n. 4. Felino in c. Si cito 14. de Fide Instrum. n. 62. docent Sylvester V. Lex n. 13. Covarruvias in c. Cum esses 10. de Teflam. n. 7. Menoch. de Arbitr. jud. Lib. 1. q. 8. n. 1. Suarez cit. Lib. 3 cap. 23 n. 1. & Laiman Lib. 1. tract. 4. cap. 21. n. 4. Ratio est partim quia presumptionio cedit veritati, arg. c. 5. per hoc 5. de Renuntiat. & meritò; cùm enim, teste Baldo in l. Non ideo 5. C. de Accusat. presumptionio sit quedam verisimilitudo, movens ad rem dubiam credendā: & ex duabus presumptionibus ea, quae fortior, hoc est, verisimilior est, debiliorem, hoc est, minus verisimile tollat, multò magis ipsi veritas competet pravalebit; juxta illud Esdræ Lib. 3 cap. 3. n. 13. Omnia autem vincit veritas: partim verò; quia tali casu celsa causa finalis legis adæquata; ac proinde etiam

etiam ipsa Lex arg. c. Cùm cessante 60.  
de Appellat.

Declaratur hac resolutio exemplis; sed enim primò, qui ante Trident. sess. 24. cap. 1. de Ref. matrim. & hodie quoque in locis, ubi hoc ejus decretum non publicatum, aut usu non receptum est, post sponsalia de futuro cum sponsa copulam carnalem animo solum fornicariò habuit, illi tanquam conjugi adhærente in conscientia non tenetur, & matrimonium cum alia valide contrahit: quantumvis copulam animo & affectu conjugali cum sponsa habitam, Jus præsumat, e. Vicens 15. & c. Is qui fidem 30. de Spons. & maritim. Laiman 1. cit. Secundo, qui contra Professionem, ob ætatis plena libertatis, vel alium defectum invalidè emissam, non reclamavit, & quinquenniò perseveravit in Religione, solenni Professiois voto non tenetur, si ejus nullitatem ignoravit, vel illam ratificandi animum sibi semper defuisse, certò sciat: licet hanc interea ratiocinata præsumat Jus Trident. sess. 25. cap. 19. de Regular. cit. Barboſa n. 14. Tertiò, si hæres, qui hæreditatem non confessò inventariò sine fraude adiit, legatariis, creditoribus &c. ultra hæreditatis vires in conscientia non tenetur, non obstante lege hoc statuente ex præsumptione; quod de bonis hæreditariis aliqua sint occultata, Menoch. q. cit. n. 3. Quartò, qui futura numerationis spe chirographo datò confessus est, se centum à Titio numeratos recipiſe, eos autem revera non recepit, Titio solvere non tenetur etiam post biennium: licet hoc elapsò Juris & de Jure præsumptio sit, pecuniam ipsi fuisse numeratam &c. cit. Innocent. & Menoch. uterque n. 2.

88. Dixi, Saltem ante sententiam; quia ex tali præsumptione in judicio condemnatus, sententiae ac mandato judicis fo-

lutionem præcipientis parere tenetur, licet de veritate præsumptioni contraria sit certus, ut cum Soto Lib. 4. de Justitia q. 5. art. 3. & alii tradit Menoch. q. cit. n. 7. & per fuadet Ratio; quia sententiam justam servandam in Foro externo obligatio in Conscientia datur, ad evitanda scandalia aliaque mala, quæ oriuntur ex neglecta sententia judicis & contemptu publicæ potestatis: cuius authoritas ut integra sit, res & bona uni ablata in alterum transferri possunt, hoc ipso; quod utilitas publica præferenda sit private, c. Bone 3. de Postulat. Pralat. l. Utilitas 3. C. de Primipilo. &c. Covarruyas Lib. 3. var. cap. 6. n. 8. & Facheineus Controvers. Lib. 8. cap. 63. q. 5.

Posteriori, sive eo casu, quod lex 89. fundatur in præsumptione, non fraudis, culpæ &c. in quovis casu particulari intervenientis: sed universalis periculi multarum fraudum, damnificationum &c. ſepe aut plerumque intercedentium, vel fecuturarum, niſi certa legalis cautio adhibetur, & stabiliter obſervetur, ea in conscientia ante omnē sententiam obligat iis etiam casibus, quibus fraudem, culpam, clamnum &c. non interveniſſe certò conſtat; ſi enim matrimonium clam, hoc eſt, ſine Parocho & teſtibus initum, Professio Religioſa edita ante decimum sextum ætatis & integrum probationis annum expletum, alienatio rei Ecclesiæ immobiliſ sine debita ſolennitate celebra: ſic contraſtuſ pupilli ſine autoritate tutoris & alii conditio- nibus jure præscriptis initi & ſimiles actus in Foro Conscientia irriti nullique ſunt, iis etiam casibus, quibus non defuit judicij maturitas, abfuit fraud, & Ecclesia vel pupillus nullum damnum ſunt paſſi. Ratio eſt partim; quia, licet in particulari caſu prædicta abfuerint non tamen cefſavit illorum ſepe interven- torum

O

rorum

torum universale periculum , cui leges , certas solennitates prescribentes , occurrere intenderunt : & propterea ipsarum , sicut causa , sic etiam obligatio in utroque foro manet , Panormit . in c. fin. de Immunit. n. 9. cit. Suarez n. 6. & Palao Tract. 3 disp. 1. p. 14. n. 13. ubi cum Rodriguez Tom. 1. Q. Regular. q. 67. art. 3. & Pontio Lib. 3 cap. 5. de Marin n. 11. salubriter monet , Ordinationes Regularium , cellæ vel cubiculi alieni ingressum , nocturnum & furtivum è monasterio egressum , colloquium cum femina in cubiculo clauso aut sine socio vel teste , graviter prohibentes , propter præsumptionem variorum incommodorum inde timendorum obligare etiam casu , quò contra illas agens certus est , nullum inde scandalum vel incomodum secuturum ; quia , etsi tali casu ista cessent , non tamen cessat universale periculum gravium incommodorum in Religione secuturorum , si contra illas libere ageretur casu , quò tale incomodum abeat ; è quò dicta incomoda non vitarentur , cum reipù adiungantur .

## ARTICULUS. VII.

## De subiecto Legis.

## SUMMARIUM.

90. Legibus obligantur membra communitatis , pro qua servantur .
91. Non etiam Princeps à se latis :
92. Nisi referant ,
93. Vé déclarent ius Divinum vel Naturale :
94. Quò ad varias leges suas servandas Princeps tenetur .
95. Iudeos & Paganos Ecclesia legibus ligari aliqui affirmant :

96. Communis Sententia his illos ,
97. Et ipsos etiam Caschumenos adstringi negat .
98. Ab illis tamen Hæretici non , nisi per accidens , eximuntur .
99. Infantes & amentes nullis : pueri Ecclesiasticis etiam legibus tenentur :
100. Nisi ipsorum atati materia non congruat .
101. Ignorantia excusat à culpa & pena ,
102. Sive ista Statutò Diæcessanò ,
103. Sive Constitutione Apostolicâ imposta sit :
104. Nisi ignorantia sit crassa & Supina .
105. Censuram non incurrit , eam delicto imposita ignorans :
106. Etsi talis incurrit alias penas delicto proportionatas ,
107. Et non exigentes scientiam vel dolum .
108. A loco absens particulari ejus lege non tenetur :
109. Licet obligetur præceptò superiori .
110. Solius legis declinande animò absentem & obligari , negantur ,
- III. Et assertentur verior Opinio ,
112. Statutis locorum extraneis , qui notabili :
113. Non etiam , qui brevi tempore in iis morantur ,
114. Aut vagabundi , nisi aliquando per accidens , obligantur .
115. Clerici , sicut immunitati sua contraria non afficiuntur ,
116. Sic aliis Legibus Civilibus tenentur ,
117. Ex aequitate naturali & Ecclesiæ voluntate .
118. Earum tamen transgressores clericos non Secularis ,
119. Sed Ecclesiasticus duntaxat superior coerct .

Lege

**L**ege, tam Civili quam Ecclesiastica, communitatis, pro qualata est, membra omnia adstringi, exploratum Jure utroque, & ex Consilio Meldensi depromptus canon est, *Canonum statuta custodiantur ab omnibus*, *&nemo in actionibus vel iudicio Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum autoritate ducatur ut refertur praesenti Rubrica subiecto c. 1.* cui consonat, imò faciem prælulit, *l. 9. C. de LL.* qua relatum Valentini, & Marciani Impp. rescriptum est; *Leges sacraissime, qua constringunt bonum vitas, intelligi ab omnibus debent;* *ut universi prescriptio earam manifestius cognitio vel inhibita declinet, vel permis. sa se feretur.* Dubium tamen & controversia est de nonnullis generibus personarum.

Et primò quidem de ipso legislatore: non quidem, quando is est communitas vg. Capitulum generale; quia legibus à tali latus singula ejus membra, ac proinde etiam, qui legem condiderunt, obligari & ad observantiam compelli posse, patet, & ex c. *Cum omnes 6. de-*

**91.** *Sed de Principe. De quo dubitan- di ratio oritur ex can. *Justum est 2. dist. 9.* quòd Principe teneri legibus suis: & ex can. *Non licet 1. q. 2.* quòd alienationem prædicti Ecclesiastici etiam Papæ inhibitam, disertè habetur: neque id im- mēritò; cùm. *Quod quisque juris in alterū statuit, ipse debeat uti eō,* & sapientis, Catonis, *authoritas dicit, Patere le- gem, quam tu ipse tuleris, c. Omnes cit.* & Digna vox est maiestate regnantis, le- gibus alligatum se principem profiteri, Imperiale rescriptum est Theodos. & Valent. ad Volfianum Præf. *l. 4. C. de LL.* quibus permoti VV. Theologi pariter & ICTi Principem legibus suis quoad culpam sive, ut loquuntur, quo-*

ad vim Directivam obligari, docent cum S. Thoma *1. 2. q. 69. art. 5.*

Sed non minus bene Haunoldus cum RR: aliis, eum legibus, quatenus sua sunt, sive obligatione immediate ex ipsis ortā, teneri negat Tract. *Procem. de I. & I. n. 54.* Cui favet textus *I. Prin- ceps 31 ff. de LL.* quòd illi his solutus pronuntiatur: & Ratio; quia, ut Mar- tinianus ICTus ait, *I. Si dñe 51 ff. de Re- cept. Arbit.* *Nemo imperare sibi aut se prohibere quicquam potest:* & propte- rea, ut in *I. cit. Glosa fin. obseruat*, verbum in Imperativo caret primâ per- sonâ. Cujus Ratio ulterior est, cum; quia jurisdictione exerceri nequit in seip- sum; quòd respectu sui superior & inferior esse nemo possit: tum verò: quia talis obligatio est omnino vana & ener- uis; cùm enim legis positivæ obligatio pendeat à voluntate legislatoris, tolli ab isto toties posset, quoties eam nollet ob- servare.

Pro ipsius Principis obligatione al- **92.** legata vim non habent: & imprimis quidem *can. Non licet cit.* quia (ut nihil dicam; quòd textu isto Papa nomine non summum Pontificem, sed Episcopos aliósque Prælatos ipso inferiores venire, prater alias notet Barbola *in can. cit. n. 5. & 8.*) quòd rerum Ecclesiasticarum alienatio sine justa causa ipsi etiam Papæ inhibita sit, non provenit ex ibi relata Symmachii, aut aliorum SS. Pontificum Constitutionibus: sed ex jure Naturali, quòd sine justa causa eiusmodi res quounque modo alienare non minùs, quam in- feriorum Ecclesiarum Prælati & admini- stratores, Romanus Pontifex prohibe- tur, per tradita à Turrecremata *in can. cit. n. 3* Bellamera *ibidem* & Redoano *de Reb. Eccles. alien. Rubr. 3. casu 4. n. 11.* Anathema autem & cæteras peccatas *can. cit. V.* Quà lege decretas, non ad Papam

O in ca-

in casu non lictio alienantem: sed ad ipsos inferiores ministros, custodes, administratores rerum Ecclesiasticarum, has in casu non lictio alienantes & in alienationem illicitam consentientes, pertinere, cito. Turrecremata & Barbosa n. 5. advertunt.

93. Deinde; quia alii textus & axiomata Juris commodè intelliguntur vel de Legibus, Naturae vel Divinum Jus declarantibus: quibus perinde, ut quemvis subditum, etiam Principem adstringi, non inficit, Suarez Lib. 3. de LL. cap. 35. n. 7. vel de honestate ac decentia quadam, leges communis capiti & membris æquè convenientes etiam à Principe observari poscente; ne Republica corpori minus congruat, contra can. Quæ contra 3. diff. 9. quod bene expressit Paulus ICTus Decet, inquietus, tanta maiestati eas servare leges, quibus ipse soluta videtur, l. Ex imperfecto 23. ff. de Legat. 3. & ipsi Imp. Antoniu ac Severu, qui saepissime in hæc verba rescriperunt, Licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus & fin. Inslit. Quibus mod. sef. infirm. consonat l. Digna vox cit. Haunold l. cit.

Demum; quia dixi, Quatenus sunt sue quantumvis enim Princeps non adstringatur legibus suis, quando istarum materia ipsi & subditis non est communis, ut sunt, quibus usus armorum, sumptuolæ veltes, convivia, venationes &c. prohibentur: attamen ex aequitate & ratione Naturali servare tenetur multas leges à se latas de contractibus, de valore moneta, aut pretio mercium, aliasque verlantes circa materiam ipsi & subditis communem: à quibus eximi sine publico damno vel scandalo aut inconvenienti desormitate non potest; sic enim ad Confessionem annuam & Communionem Paschalem, ad Missam diebus Dominicis ac festis audiendam etiam Papa tenetur, propter scandalum oriturum ex dif-

formitate, Palao Tract. 3. diff. 1. p. 24. §. 1. n. 7.

Secundò de Paganis & Judæis; hos 95. enim non Divini solum & Naturalis, sive Principis aut alterius Magistratus secularis; sed Ecclesiasticis quoque legibus in materia sibi congruente adstringi, cum nonnullis VV. Canonistis asserit Paganus in c. Canonum 1. an. 79. quod primò intuitu suident c. 1. cit. & c. fin. textus, Canonum statutis & Ecclesiasticis Constitutionibus subiungentes indiscriminatim Omnes: cujus, verbi generaliter Paganos quoque & Judæos affici, inde etiam peripicum est; quod Sanctionum Ecclesiasticarum compilationibus suis Gregorius IX. & Clemens V. inferuerint Rubricam de Judæis & Sarracenis: cui in Canonum Collectione locus non esset, si Sanctiones illæ ad Judæos & Sarracenos non porrigerentur. Ratio est; quod hi subjecti sint SS. Canonum conditori summo Pontifici & Christi Domini Vicario in terris, cui attributa est potestas judicandi de omnibus, can. Cuncta per mundum 9. q. 3. & Extravag. Unam sanctam 1. §. fin. inter Com. de Maiorit. sive fideles sunt, sive infideles, juxta vetus ac tritum illud, Conditori Canonis & Vicario Creatoris omnis creatura est subiecta, apud Panormi in c. 1. cit. n. 2.

Sed ista, quamcumque veri speciem præferant, leviora sunt, quam ut recessum persuadent à communī sententia DD. præsertim TT. ad legum Ecclesiasticarum observantiam Paganos & Judæos non adstringentius cum Innocentio III. Paganos Constitutionibus Canonicis non artari, disertè pronuntiantis c. Gaudemus 8. de Divortiis, in eamque rem allegantis illud Apostoli, Quid enim ad nos de his, qui foris sunt judicare? l. Corinth. cap. 5. V. 12. ex quibus verbis, infideles Legislativæ Ecclesiæ potestati directè non subiunguntur.

Subiecti, clarissima, & aperta Ratio est; quia potestas illa species quædam est jurisdictionis, Summo Pontifici in Paganos & Judæos tanquam non baptizatos non competentis; cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam sit ingressus Verba sunt S. Synodi Trident. sess. 14. cap. 2. de Panitia Sacram.

Ex his planè corruunt deducta pro legum Ecclesiasticarum ad infideles extensione; hanc certè non evineant c. 1. Eccl. fin. cit. textus; quia istorum generalitatem ad Ecclesias subditos eam per Baptismi januam ingressos referendam, lique ex rescripto Apostolico Innocentij III. c. Gaudemus cit. & decreto Synodali cap. 2. cit. relatis; cùm explorati Juris Regula sit, locutionem generalem cum temperamento exaudiendam, & restrictione adhibita accommodandam materiam subiectæ, quando id necessarium est ad excludendam iurium correctionem & contradictionem, arg. c. Cum expeditat 29. de Elef. in 6. Et l. Precipimus 32. in fine C. de Appellat. Tulchus Practic. V. Correccio conclus. 1036. à n. 1. & Menoch. Adipis. remed. 4. n. 21.

Neque pro extensione illa facilit Rubr. de Judeis & Saracenis, cùm; quia huic subiecti textus complures directè spectant solos Christianos, in Judæorum domibus habitare, c. Judai 5. illorum familiari servitio se addicere, c. Adhuc 8. Eccl. Et si Judeos 13. iifdem novarum Synagogarum constructionem permittere, c. Consuluit. 7. publica officia inter Christianos, & in hos jurisdictionem committere, c. Güm sit. 10. ad Saracenos arma aliisque belli instrumenta & commeatum deferre prohibitos c. Ita quorundam 6. Eccl. Quod olim 12. quibus & similibus textibus, Judæos & Paganos indirectè tantum affici, liquet ex

tenore: tum verò; quia Rubr. cit. subiecti, & Judæis vel Paganis aliquid directè præcipentes textus illos tantum Judæos vel Paganos adstringunt, qui in Romanæ vel inferiorum Ecclesiarum aut Principum Christianorum territoriis degunt, eorūnque temporali jurisdictioni subditi sunt; & fere conservationem pacifica, atque in Religionis contemptum non vergentis, Judæorum cohabitationis cum Christianis spectant.

Minus quam textus urget Ratio; quia Ecclesiastici Canones aliquando comprehendunt præcepta Juris Naturalis & Divini, cùm fideliib⁹ adstringentis infideles: quib⁹ eò ipsò; quod Ecclesia ingressus per Baptismum Divino jure præceptus & ad salutem necessarius sit, c. I. §. Una de Summa Trinit. de salutis suæ necessitate Ecclesiam ingredi, & Romani Pontificis jurisdictioni se submittere tenetur, juxta Extravag. cit. in fine.

97.

Tertiò de Catechumenis; cùm enim isti se subiecerint Ecclesiæ instructioni, præparatoria ad Baptismum: & per fidem Sacramenti votumque Baptismi Christi membra effecti sint, c. Debitūq; de Baptismo Eccl. fin. de Presby. non baptizari membra & subditi erunt Ecclesiæ; ut nihil desit, quod minus istius legibus valeant obligari. Verum quia Sacramentū Fidei seu verus Fluminis Baptismus, sicut fundamentum omnium Sacramentorum, c. fin. cit. sic etiam janua est, per quam Catechumeni & infideles quinque Ecclesiam visibilem ingrediuntur, cap. 2. cit. ante Fluminis Baptismum actu suscepimus Ecclesiæ judicio & legibus non subiectur, c. Gaudemus & cap. 2. cit. Ita Suarez de Sacram. disp. 31. f. 2. Vasquez in 3. p. disp. 150. cap. 2. & 3. Laiman Lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 8. & alii, ex hac Ratione inferentes, Catechumenis & infidelibus adultis cer-

O 3

tum ter,

tum terminum pro Baptismi susceptione  
lege Ecclesiastica non præfigi : sed solum  
modo declarari posse , intra quod tem-  
pus illum iuscipere teneantur ex lege Di-  
vina ; quod Ecclesia sit clavis scientia &  
interpretationis scripturarum.

Quartò de Hæreticis & à Fide Apo-  
statis : quos an leges Ecclesiasticae obli-  
gent , dubitandi Ratio est ; quod non  
solum ab Ecclesia obedientia ipsi recesser-  
int : sed tanquam putrida membra à fi-  
delium communione exclusi ab ipsa Ec-  
clesia sint per excommunicationem , sicut  
*8. c. Ad abolendam 9. c. Excommuni-  
camus 13. & 15. Et. de Hereticis.*

Sed Ratio ista illorum à legibus Ec-  
clesiasticis exemptioni non patrocinatur,  
partim ; quod, ne ex malitia sua commo-  
dum reportent , contra Regulam c. Intel-  
leximus 7. de Judicio c. Ex literis 2. de  
Dolo & l. Itaque 12. §. 1. ff. de Furtis.  
suo ab Ecclesia Obedientia recessu & per-  
vicacia exemptionem à legibus Ecclesi-  
asticis consequi non debeant : sed potius  
conveniens sit , eos ad pœnitentiam &  
reconciliationis gratiam procurandam di-  
ctarum legum severitate excitari & com-  
pelli : partim vero ; quod, licet Hæretici  
& Apostata ob sui criminis atrocitatem  
communibus Ecclesia & fidelium suffra-  
giis privati sint , in Ecclesia tamen aliquò  
modò esse perseverent ratione spiritualis  
& indelebilis Characteris , anima impres-  
si in Baptismo , o. Majores 3. §. Item  
quaritur de Baptismo Concil. Florent.  
in Decreto Fidei §. Quintum & Trident.  
Jeff. 7. can. 9. cuius susceptione Ecclesia  
membra sunt effecti & perpetuò subjecti  
Ecclesiastica Jurisdictioni juxta cap 2 cit.  
can. De Iudeis 5. dis. 45. & Rubrica de  
Hæreticis & Apostatis. Quare Hæreti-  
cos & Apostatas per se Ecclesiasticis le-  
gibus adstringi , certa sententia est Car-  
dd. Bellarmini de Justificatione Lib. 4.

cap. 1. & Lugonis de Sacram. disp. 15.  
n. 47. Per se ; inquam , quia per accidens ,  
propter invincibilem ignorantiam legum  
Ecclesiastiarum suaque subjectionis , ma-  
gna pars Hæreticorum , præfertim in pro-  
vinciis omnino aut majori ex parte hæ-  
resi infectis , illarum transgressione non  
peccat.

Quintò de pueris : non quidem ea. 99.  
rentibus usu rationis ; hos enim perinde,  
ut infantes & amentes , nulla lege obli-  
gari certum est ; quod leges tanquam  
rationalia præcepta ferri non potuerint ,  
nisi pro ratione utentibus ; cum hi soli  
capaces sint agnoscenda obligationis ,  
quam leges imponunt , Sanchez Lib. 1.  
Moral. cap. 12. n. 3 & Palao. p. cit. §.  
& n. 2. Sed de præditis usu rationis :  
quos , sicut Naturalibus ac Divinis , sic  
etiam Ecclesiasticis legibus , quando ista-  
rum materia puerili etati conveniens est ,  
teneri , docet Laiman. Lib. 1. Tract 4.  
cap. 10. n. 4. id defumens ex c. Omnis 12.  
de Pænit. & remiss. ex eius dispositione  
ad Confessionem annuum tenentur , Post-  
quam pervenerint ad annos discretionis :  
quæ in dubio ante septimum aetate , & post  
eum unum expletum adesse , & post  
eum unum expletum adesse præsumunt  
ex eo , quod frequentius contingit , arg. l.  
Si infant. 18. §. fin. C. de Jure delibera.

Dixi tamen , Si materia conveniat ; 100  
quia quibusdam legibus Ecclesiasticis ,  
etiam septennio jam impletō , nondum  
adstringuntur sic enim primo ad Commu-  
nionē Patchalem extra articulum mortis  
obligari primū consentur uno alterōve  
aut tertio anno post illud impletum ;  
quod prius ad tantum mysterium cum de-  
bita reverentia percipiendum apti non  
videantur , Navarrus Manual cap. 21.  
n. 33. & Fagnanus inc. Omnis cit. n. 33<sup>o</sup>  
Quorum doctrina , licet communis , pro-  
babile tamen etiam est , pueros ad Eucha-  
ristiam in alchate sumendam & annuam  
Confel-

Confessionem simul obligari incipere; quod usus rationis, requitus ad Confessionem, etiam ad Communionem sufficere videatur, ut alii DD. relatis censem sit. Palao p. 24. §. 2. n. 7. Secundo, à Jejunio Ecclesiastico excludantur, donec impleverint ætatis annum vigesimum primum, teste D. Thoma 2. 2. q. 147. art. 4. Tertiò, censuras & similes poenas Ecclesiasticas verisimiliter ab ijs non incurri ante exactos años pubertatis, nonnulli docent arg. c. 1. & c. fin. de Delict. puer. excepta Excommunicatione latâ in persecutores clericorum: quam à pueris quoque incurri, colligitur ex c. 1. & c. fin. de Sent. Excom. Palao cit. §. 2. n. 9. & irregularitate ortâ ex homicidio voluntario: quam in eisdem dolî capaces cadere, desumitur ex Clement. Si furiosus de Homicid. ob defectum ætatis solum infans excipiēre, ut cum Sylvestro V. Homicidium 3. q. 1. d. 3. docet Sanchez cit. cap. 12. n. 8.

Sicut has, sic alias quoque censuras & poenas Ecclesiasticas Jure latas à pueris dolî capacibus incurri, cùm cit. Sanchez n. 8. & Suarez de Cenfûr. disp. 5. f. 1. n. 19. verisimilius defendit Haunold. Tract. cit. n. 92. quod c. 1. & c. fin. de Delict. puer. sermo tantum sit de poenis ab homine infligendis, à Jure latis autem ullo istius textu non eximuntur.

101. Sexto, de laborantibus ignorantia: quam, si invincibilis sit, à culpa & poena excutare, colligitur ex c. Cognoscentes 2. & c. 1. de Concess. Prab. in. 6. verbis, Lex seu Constitutio & mandatum nullos abstringunt, nisi postquam ad notitiam per venerint eorumdem.

Ratio, cur hujusmodi ignorantia excusat à culpa, est: quod inculpatâ ignorantia laborantes eam violare, dici propriè non possint; quia observatio & violatio legis propriè accepta est actus hoc.

manus: non etiam actus ex ejusmodi ignorantia procedens; hæc enim voluntarium ac liberum tollit; cùm ignorantis, perinde ut errantis, nullus sit consenus ac voluntas, arg. I. Si per errorem i. 5. ff. de Jurisdict. & I. Non idcirco g. C. de J. & F. I.

Ratio autem, cur eadem excusat à poena, est: quia poena & culpa sunt correlative, ut sine reatu culpæ reatus poenæ non detur, can. Satis 7. dist. 56. cùm rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, c. Cognoscentes cit. & sine culpa aliquem non puniendum, Juris sit Regula 23. in 6. Luculenter ista confirmat Bonifacii VIII. Constitutio relata c. fin. in. 6. cuius pr. est, Ut animarum periculis obvietur, Sententia quorūcunque Ordinariorum prolati ligari nolumus ignorantes: quô textu sententia nomine non eam, quâ inter partes orta lis definitiva judicis pronuntiatione terminatur: sed legem pro tota diœcesi latam venire, planè liquet ex V. Per statuta.

Dubium autem est; an pr. cit. dispositio de omnibus legibus procedat. Dubitandi rationem offert ejus tenor, dicit loquens de Sententiâ seu legibus latâ per statuta Ordinariorum: quæ verba propriè sumpta de legibus Ecclesie universalibus non procedunt; cùm Statuta non quæcunque, sed locorum particulares solum leges: Ordinarii autem propriè Episcopi, iisque similes Pralati vocentur: & propterea pr. cit. de legibus, quæ ab Episcopis & similibus Praelatis Papâ inferioribus promulgantur, sermonem esse, Glossa V. statuta & Interpp. passim obseruent.

Sed, esto Bonifacius P. expressè de his loquatur: quod de iis duntaxat difficultas, & Sedes Apostolica consulta fuerit: dispositione tamen quascunque leges sub nos.

sub pena præsertim Medicinali, ut sunt Censuræ, aliquid præcipentes vel prohibentes comprehendendi, ex aliorum Interpp. mente notant Laiman in c. fin. cit. n. 2. Pirrhing ad hanc Rubr. n. 51. & Palao Tratt. 2. disp. 1. p. 17. n. 2. Ratio est; quod ex una, de his quoque ante deducta Ratio procedat: ex altera vero parte, non procedat Ratio, ob quam statutò diocesanò latæ poenæ etiam ab ignorantibus incurri, poterant existimari; quod scilicet hujusmodi statutis inflictæ poena in subditorum diocesanorum omnium notitiam facilius ac citius, deveniant, quam latæ Constitutionibus Apostolicis Rômæ promulgatis: eamque ob causam illorum ignorancia minus probabilis & excusabilis sit, quam istorum; ut in dubium & questionem vocati non immergit potuerit, sicut Apostolicis Constitutionibus, sic etiam statutis diocesanis latarum censurarum ignorantia subditos contra illa agentes excusat. Confirmatur primò; quia pr. cit. dispositio eò ipso; quod obviet periculis animarum, favorabilis & late interpretationis patiens est: ut extensio nem admittat ad casum, in quo non eadem duntaxat, quæ statuti, sed major ratio est, ut in legibus Ecclesiæ universalibus; cum enim ista non solum facilius, quam statuta localia, à subditis ignorantur, sed his numero & gravitate potiores sint, animarum periculum majus foret, si iis latæ censuræ ligarent ignorantias. Confirmatur secundò; quia latè acceptò Statut nomine leges quoque Universales: & nomine Ordinarii etiam Papa, qui Ordinariorum Omnia Omnia Ordinarius est, intelligi quandoque solent, & hoc loco non solum sine incommendo, sed magno animarum bono posunt.

**304.** Dixi Invincibilis; quia, si ignorancia sit vincibilis, saltem supina & cras-

sa, quâ laborat, qui ignorat id, quod scire & investigare tenetur, & scire atque investigare adhibitâ modicâ diligentia posse: si, inquam, ignorantia talis sit, à culpa & poena non excusat pr. cit. quod hujusmodi ignorantia scientia æquiparetur, cit. Laiman n. 1. Pirrhing n. 52. ad finem Molina Tratt. s. de I. & I. disp. 71. n. 9. & Suarez de Censur. disp. 4. s. 9. n. 19.

Dubium ulterius est, an à poena legi constituta excusat, ita ut tantum, non etiam legalis præcepti vel prohibitionis ignorantia laborat. Talem enim ab illa non excusari, cum Claro §. fin. q. 85. n. 3. volunt Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 10. n. 7. & Avila de Censur. p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2 quod id non obscurè tradat Innocentius III. c. Cum illorum 32. de Seni. Excom. cuius §. Circa quos excommunicatione ab hujusmodi ignorantibus contrahi supponit, & §. Circa reliquos ibi. Qui vel juris ignari nesciunt, exinde se excommunicatio vinculò teneri. Ratio id ipsum suadet; quia vis inductiva poenæ tota consistit in delicto: quod proinde admisso jam datur obligatio ad poenam.

Sed Ratio ista levis est; esto enim omne delictum inducat aliquam poenam, non tamen necessariò inducit omnem poenam Juris humani &, ut Censura, contumaciam & Ecclesiastica potestatis exigentem contemptum: vel aliam, in delinquente certam qualitatem exposcentem: vel ex specialibus causis in aliquo loco ultra Juris communis rigorem ex asperam, ut paulò post plenius constabit.

Quare alii hac in re inter Censuras & alias penas statuunt discrimen: & illarum quidem sive excommunicationis suspensionis & interdicti penas delictis impositas à Jure, ab iis, qui cum censuræ hujusmodi invincibili ignorantia delinquunt,

linquunt, incurri inficiantur partim; quod centuræ præ, requirant monitionem, sive à Jure sive ab homine factam, &c. *Sacraq. de Sent. Excom.* Monitus autem cum censuræ comminatione non intelligatur is, qui excommunicatione delicto à Jure vel ab homine impositam, ignorat: partim verò; quod censuræ sint poenæ medicinales, sic dictæ; quod ex institutione sua delinquenti sui horrore deterreat ac permoveant, ut à contumacia & potestatis Ecclesiastica contemptu atque inobedientia recedat, *can. Nemo Episcoporum 11. q. 3. c. 1. c. Constitutionem g. de Sent. Excom. in 6. & c. Ex parte 23. de V.S.*

Neque contrarium evincit *c. Cùm illorum cit. textus*, partim; quia non defunt DD. qui eum *c. Ut animalarum cit. pr. correctum*: istòque hac in re novum Jus conditum velint, idque ex *V. Notulam desumant apud Barbolam in t. cit. n. 1.* partim verò; quia *c. Cùm illorum cit.* relatam, tam Juris quam facti, ignorantiam fuisse crasam, notat *Palao cit. p. 17. n. 6.* quod circa factum proprium gravissimumque, & circa Jus notissimum sit veritatem.

**106.** Ab aliis verò poenis, præsertim irregularitatibus ex delicto provenientibus, hujusmodi ignorantiam regulariter non excusare, communis sensus est DD. & de irregularitatibus cum Covarruvia *l. cit.* id tradunt *cit. Suarez disp. 40. s. 5. n. 9.* *Vasquez de Excom. dub. 16.* & *Avila disp. cit. dub. 7. concl. 2.* & persuadet Ratio; quod hæc nec medicinales, nec puræ poenæ sint: sed insuper inhabilitates quædam, ob facii ministerii reverentiam jure proditæ, & tanquam indignum ab illo removentes eum, qui delicto, cui irregularitas annexa est, voluntariè se contaminarunt. De ceteris quoque poenis cum Claro & Covarruvia *l. cit.* idem docent *cit. Molina disp. 71. n. 9.* Suarez

*Lib. 5. de LL. cap. 5. n. 11. & Laiman Tract. 4 cap. 20. n. 6.* Ratio est; quod contra Legem scienter delinquens se obnoxium reddat poenæ, illius violationi secundum se spectatae, proportionatae.

Excipienda tamen sunt imprimitis **107.** poenæ, ad quas incurriendas legislator sci-entiam, dolum, temeritatem, contemnptum legis eas decernentis requirit; quia ex una, talem legem eaque constitutam poenam ipse ejus conditor contrahi nolle videtur, nisi violatio conjuncta sit cum ejusmodi qualitate vel circumstantia culpæ aggravante: ex altera verò parte, poenæ interpretatione nostra mollienda potius sunt quam exasperandæ, *can. Pana 18. disp. 1. de Panit. & l. Interpretatione 42. ff. de Panis.* Tiraquell. de Panis tempe-rand. causa 14. n. 23. & Suarez de LL. Lib. 5. cap. 12. n. 14. Deinde poenæ gra-viores, quam delictum secundum se spe-ciatum mereatur, in aliquo loco ex spe-cialibus causis constituta; has enim, fal-tem quoad excessum, ab ejus ignoran-ti laborantibus non contrahi, docent *cit. Laiman, n. 6. in fine.* & Haunoldus *Tract. Proem. de I. & I. n. 104.*

Septimò, de subditis versantibus extra patriam sive locum proprii territorii, vg. de diocesanis existentib<sup>9</sup> extra suā dice-sin. Quos patriæ suæ legibus seu statutis particularibus non obligari, decisio est Bonifacii VIII. *c. fin. cit. in 6.* ubi hic Papa, Statutò inquit Episcopi, quod in omnes, quis fortu commiserint, excom-municationis sententia promulgatur, sub-diti ejus extra ipsius diocesis existentes minime ligari dignoscuntur. Rationem reddit; quia extra territorium jus dicen-ti impune non patetur: quæ est senten-tia Pauli *l. fin. ff. de jurisdicti.* ubi hic ICT<sup>us</sup> idem esse ait, Et si quis supra ju-risdictionem suam velit Jus dicere. Un-de diocesanus Ratisbonensis, pridie S<sup>e</sup> P Wolf.

Wolfgangi jejunare Ingolstadii, & Ingolstadiensis Ratisbonæ existens in Festo S. Wilibaldi sacrum audire non tenentur.

**109.** Neque in contrarium facit; quod non appareat ulla ratio; cur superior tam generali quam speciali mandato, vg. non ludendi aleis; & non etiam lege vel statuto, eundem casum vetante, obligare valeat subditos extra territorium existentes; quia, ut n. 4. insinuatum est, lex seu statutum directe & immediate respicit territorium: præceptum vero directe & immediatè tendit in personas, quarum propterea omnibus adhæret, easque sequitur, quounque terrarum devenerint, cit. Laiman cap. ii. n. 1. in fine & Pirring ad hanc Rubr. n. 55. cuius discriminis Ratio anterior est; quia lex & statutum principaliter spectat felicitatem territorii; quam cum promovere ex officio suo legislator teneatur, & legis obligatione ultra illud extensa non promoveat, ejus leges directe & immediate territorium afficere centurunt; præceptum vero immediatè spectat bonum subditorum particulare, quibus expedit eō obligari, ubique existant, Haunold cit.

*Tract proam. n. 63.*

Dubium hoc loco est de diocesano subdito, è sui diocesis egresso præcise animo legem declinandi. Quem statuto diocesanò per se, non obligari, communis DD. sententia & non levius momenti Ratio est; quod is, qui iure suo utitur, fraude & dolò facere non videatur, l. Nullus 55. ff. de R. I. jure autem sive lege omnibus permisus sit egressus è diocesi; lex enim diocesana aliquid præcipiens vel prohibens solummodo obligat ad sui observationem intra diocesim: non ad hanc non deferendam. Unde

Inferunt communis sententia Assertores primò, Ratisbonenses extra dioc-

esim suam existentem jejunare pridie S. Wolfgangi, illiusque Festo die Sacrum audire non teneri, quantumvis solius jejunii aut Missæ obligationem declinandi animo extra diocesim Ratisbonensem veretur. Inferunt secundò, à sponsis Germanis vel Italibus in loco, in quo S. Synodi Tridentinæ decreta Reformatoria nunquam publicata, vel ulu recepta non sunt, vg. in Gallia existentibus matrimonium clandestinum, hoc est, sine Parrocho & testibus contractum, esse validum: quantumvis solius conjugii ita in eundi animo eō se contulissent.

Verum illationi huic locus non est, post S. Congreg. Card. Concilii illius interpretum declarationem, Brevi Authentico ab Urbano VIII. ad Archi-Episcopum Colonensem datò, Dominicæ Incarnationis Anno 1627. roboratum: quā pro illegitimo habetur matrimonium, quod contractum est cum fraude, id est quando incole loci, in quo Concilium Tridentinum in punto matrimonii est promulgatum, idem domicilium retinet se transferunt (ad locum ubi non est promulgatum) solum animo sine parrocho & testibus contrabendi: Cui declaratio ni, licet legis instar solenniter publicata non sit, legis tamen vim cum Card. de Lugo Lib. 1. Respons. dub. 36. & aliis adiutavit Gobat Experient. Theolog. Tract. 9. n. 482. Neque id immeritò; quod ad comprehensivam legis declarationem, ut relata est, publicationis solennitas necessaria non sit, ut præter alias idem notat & arg. l. Hæredes 21. §. 1. ff. Qui testam. fac. poß. & l. Aſte 77. ff. de Hæred. inflit. dictum est in Proam. n. 148.

Non parum roboris huic observationi addit primò; quod allegata declaratione S. Congregatio aperte insinuet, in fraudem legis agi ab illis, qui præcise legis, eaque inducta obligationis vel nullatis,

litatis declinandæ animō è loco, in quo Synodalis decreti clandestina conjugia irritantis obseruantia viget, egrediuntur, s̄eque conferunt ad locum, in quo decretum illud ufu receptum non est; cum S. Congregatio confulta de valore conjugij initi ab illis, qui ad talem locum *solo animō sine Parochio & testibus contrahendi se transferunt, responderit, non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude: quibus verbis, solo, animō matrimonium clam contrahendi è loco egrēlos, cum fraude egressos & contraxisse, indicatur, ut Card. de Lugo dub. 36. c̄st. n. 5. observat; ac proinde, solo animō declinandi legem egredientes è loco, & ad alium se transerentes, in fraudem legis agere, declaratur. Secundò; quòd eā declaratione S. Congregatio non considerit Jus novum: sed lolummodo novum à S. Synodo Tridentina conditum, eōque inductam nullitatem ad matrimonium sic contractū extendi, declarārit; ut adeo matrimonij clandestini nullitas, inducta à S. Synodo, ab iustius PP. ad sic translatos & contrahentes porrecta jam fuerit: *soloque legis declinanda animō ab uno egredientes & ad alium locum se transerentes, in fraudem legis se transferre conveantur.* Tertiò; quod etiam Urbanus Papa, declarationem S. Congregationis confirmans, & secundum eam ab omnibus judicibus, Ordinaris & delegatis, judicari præcipiens, Jus & nullitatem novam non induxit: sed lolummodo S. Congregationis, decretum Synodale declarantis, & ab iis, qui solo clam contrahendi animō se alio transferunt, matrimonium illegitimi & cum fraude contrabi pronuntiantis, resolutionem Authoritate Apostolica, in forma Communi, non Speciali approbāri & confirmāri.*

Quare spectato Jure verisimilius

est, statuti diocesani obligatione non liberari eum, qui solo ejus declinanda animō egreditur è diocesi, ut cum Manuel. Tomi. 1. Summa cap. 2. q. n. 2. in fine. Sauro Lib. 7. Clavis Reg. cap. 3. n. 12. Vaquez p. 3. q. 98. art. 2. & aliis defendunt Laiman cit. cap. 11. n. 9. & Rebellus p. 2. de Oblig. Justit. Lib. 2. q. 7. f. 3. n. 16. Ratio est; quòd tales è diocesi egreditur in fraudem legis, ut patet ex allegata & explicata declarationis verbis: *fraus autem sui & dolus nemini debeat patrocinari, c. Sedes 15. & c. Ex tenore 16. de Rescript. quod tamen continget, si ita malitiosè diocesin deserens illius legibus non teneretur.* Unde

Corruuit fundamentum sententiae communis; cum tales in legi's fraudem agere censeantur; quòd in communitatibus Ecclesiasticis bonum promulgati statuti conditor subditos obligare videantur; ne ejus obligationem sine justa causa subterfugiant, ut patet ex persuasione fidelium, de talibus pasim male sentientium, & ex praxi Ordinariorum diocesanorum, eos pro suæ potestatis contemptoribus & legis transgressorib⁹ habentiū, teste Laiman cit. n. 9.

Octavo de Peregrinis: & imprimis 112. quidem de iis, qui ad locum alienum se conferunt, animō per maiorem aut notabilem anni partem illic habitandi. Quos non solum ad comunes, sed ad particulares quoque & loco proprias leges & consuetudines, vg. ad festa & jejunia illuc usū recepta, observanda obligari, Lessij Lib. 4. de I. & I. cap. 2. n. 47. Sanchez Lib. 3. de Matrim. disp. 6. n. 40. Bonacina disp. 1. de LL. q. 1. p. 6. n. 43. & aliorum doctrina fatis certa, & clara Ratio est; quia ejusmodi animō in loco morantes ibi contrahunt quasi domicilium: ratione cujus fiunt pars communitatis talis loci & subditii ejus magistratus, arg. l. Hares absens 19. §. 2. ff. de Judicitiis.

P 2

Deinde

Deinde de iis, qui ad locum accedunt animō, brevem moram in eo faciendo vel transeundi, ut solent, qui ad nundinas aut negotiū gerendum alicubi morantur, vel ex itinere in eo divertunt. Quos legib⁹ Juris communis illic usū receptis, etiam si in patria sua eis derogatum sit, ut vg. Mediolanenses Ingolstadium venientes, ad jejunium primis quatuor Quadragesima diebus observandum obligari, communis DD. sensus & Ratio perspicua est; quia Consuetudo contra Juri communi tanquam odiosa restringenda: neque extra locum, in quo viget, porridenta est, arg. Reg. Odia 15. in 6. Navarrus Manual. cap. 23. n. 120. Sanchez cit. disp. 18. n. 7. & Bonacina cit. p. 6. n. 55.

113. Eosdem etiam loci, in quo brevi tempore morantur vel transeunt, statutis & Consuetudinibus particularibus adstringi, cum Navarro l. cit. volunt Co-vartuvias Lib. 4. var. cap. 3. n. 8. Suarez Lib. 3. de LL. cap. 33. n. 3. Salas disp. 16. de LL. f. 4. concil. 4. Pontius Lib. 5. cap. 7. § 1. n. 6. & alii. Moventur primò tritò illò: *Si fueris Rome, Romano vivito more, & can. Illa 11. V. At ille dis. 12. quò locò relatus S. Augustinus ad Januarium scribens ait, Ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva.* Secundò, c. fin. de Feriis &c. Consilium 2. de Observat. jejun. quorum textuum priori solennitates, quas singuli Episcopi induxerint: posteriori consuetudines Regionis observanda, asseruntur. Tertiò; quia, cùm tales juxta dicta eximantur à legibus particularibus suæ patriæ, æquum est, ut vivant legibus loci, in quo existunt arg. Reg. Qui sentit. 55. in 6. ne alii sint exleges. Ita isti & verisimilius omnino.

Verisimilius tamen, eos legibus & Consuetudinibus particularibus per se

non adstringi, cum *Glosa in can. Illa cit. V. Venerit*, Sylvestro V. *Jejunium q. 2. n. 7.* & aliis defendant Azor p. 1. In-  
firius lib. 7. cap. 30. q. ult. Lefsius cit. cap. 2. n. 49. Sanchez Lib. 1. Moral. cap. 12. n. 38. & Laiman Lib. 1. tract. 4. cap. 12. n. 5. Ratio est; quia lex per se non obligat, nisi subditos & membra communitatis, cui fertur: prædicti autem peregrini moraliter non consentur subditi jurisdictioni loci, per quem solummodo transeunt, & membra illius communitatis: neque forum illic fortuntur, l. Mares cit. §. 2. nisi ratione rei illic sita, vel celebrati contractis, aut delicti illic commissi, arg. c. fin. de Foro compet. Confirmatur; quia in dubio, an quis obligetur vel non, censendus est non obligari, arg. l. Arrianus 47. ff. de O & A. fave-  
dum enim est libertati; in cuius, à na-  
tura acceptæ, possessione quilibet existit, donec de obligatione constet.

Neque vim cum allegato versu ha-  
bet can. Illa cit. quia accipi potest de iis,  
qui ad locum aliquem se conferunt animō  
diutius morandi: vel de casu, quō ex  
legum localium transgressione scandalum  
vel Reipublica aliud incommodum se-  
queretur. Alii textus exaudiendi sunt de  
loci civibus & inquinis

Neque magis urget ratio; quia,  
cùm peregrini non solum Naturalis ac  
Divini, sed humani quoque Juris com-  
munis legibus teneantur, exleges non  
erunt: licet tam loci transitū quām pa-  
triæ suæ legibus non adstringantur.  
Nonò, de vagis, hoc est, non haben-  
tibus alibi domicilium vel quasi: quos,  
licet legibus locorum particularibus te-  
neri, existimant Sanchez l. cit. n. 23 &  
Haunold tract. cit. n. 79. Verius tamen,  
ut cæteros peregrinos sic ipsos quoque  
illarum obligatione non affici, ex ratio-  
ne paulò ante deducit, docent cit. Lefsius  
cap. 20.

*cap. 20. n. 59. & Laiman cap. 12. n. 7.*

Dixi tamē de his & de peregrinis aliis,  
Per se; quia per accidens tenentur mul-  
tis legibus particularibus, vg. quibus  
præscribitur certa forma contractibus,  
taxatur valor moneta, aut pretium mer-  
cium statuitur; quibus usus certorum  
armorū, equorum, frumenti, vini expor-  
tatio vel inventio &c. prohibentur, &  
quarum transgressio affert scandalum,  
vel obest bono publico loci, ejusque gu-  
bernationem & pacem perturbat, *Lessius*  
*cap. cit. n. 49*

**115.** Decimō, de Clericis & Religiosis re-  
spectu legum Civilium. Non quidem,  
qua sacris Canonibus, libertati & immu-  
nitati Ecclesiasticæ adversantur: cuius-  
modi sunt, qua de Ecclesiis, personis aut  
rebus Ecclesiasticis specialiter aliquid pre-  
cipiendo vel prohibendō disponunt; his  
enim eos non obligari, ferè omnium ali-  
eius nominis ac notæ DD. Orthodoxo-  
rū doctrina est, & apertè traditur *can. 1.*  
*Ecc. dist. 10. can. Si Imperator 11. Ecc. dist.*  
*96. c. Que in Ecclesiarum 7. c. Ecclesia*  
*10. hic c. Si diligenter 12. de Foro compet.*  
*c. 1. eadem Rubr. in 6. c. fin. de Reb.*  
*Eccles alien. c. Noverit 49 de Sent. Excom.*  
*c. Quanguam 4. de Censibus in 6. Tri-*  
*dent. sess. 25. cap. 20. de Reformat. Bul-*  
*la Cæsa. can. 14. Ecc.* Ratio est; quia  
persona, loca rē que Ecclesiasticæ à juris-  
dictione seculari, si non immediate Di-  
vinō, ut multi volunt, saltem ad imita-  
tionem Legis Veteris & ex instinctu Di-  
vino conditō Jure humano, non solum  
Canonico c. cit. sed Imperiali etiam sunt  
exemptæ, *l. Privilegia 12. & auth. Casla*  
*C. de SS. Eccles.* quā postremā Constitu-  
tione Imp. Fridericus Casla & irrita de-  
nuntiari præcipit omnia statuta & Con-  
suetudines, contra libertatem Ecclesiæ  
eiusque personas inductas adversus Ca-  
nonicas & Imperiales sanctiones,

Sed de aliis legibus civilib⁹, quarū

**116.** materia personis Ecclesiasticis & seculari-  
bus est communis, & privilegiis ac statutis

Ecclesiasticis non repugnat: ut sunt le-  
ges pecuniaæ aut rerum venialium valorem  
augentes vel minuentes, statuentes for-  
mam contrahendi, merces exportari pro-  
hibentes &c. cujusmodi leges pro tota  
communitate latas etiam à Clericis ac Reli-  
giois observandas, Interpp. in c. Ec-  
clesia cit. & l. 1. C. de Summa Trinit. Syl-  
vester V. Lex. q. 15. Sotus Lib. 1. de Inſtit.  
q. 6. art. 7. Covarruvias Præflic. cap. 33.  
*n. 94. Bellarmin. Lib. 1. de Cleric. cap.*  
*28. Suarez Lib. 3. de LL. cap. 34. n. 6.*  
*Laiman cit. tract. 4. cap. 13. n. 1. Hau-*  
*nold. Tract. Proæm. cit. n. 85.* & ab his  
relati alii docent contra Navarrū, Cleri-  
cos & Religiosos ab hujusmodi etiā legū  
Civilium obligatione eximentē, *Confil. 3.*  
*de Constitut. concil. 3. n. 4.* Rationem  
reddunt; quod, cū sint cives ac mem-  
bra Reipublicæ, æquum omnino sit, ut  
leges, ad istius bonum & rectam guber-  
nationem condita, & statui ac privilegiis  
Ecclesiasticis non adversantes, ab ipsis  
quoque observentur; ne, si contra Reg.  
Qui sentit. 55. in 6. comodum sine or-  
nare sentire velint, ceteris Reipublicæ  
membris onerosi reddantur & exosi.

Dubium tamen, unde ea obligatio  
orientur, & ratio dubitandi gravissima

**117.**

est; quod directè & immediate oriri &  
imponi nequeant à potestate, à qua ea  
laicos obligandi vim habent; cū hos  
obligandi vim accipiāt à potestate juris-  
dictionis, residents in legislatore seculari  
& ad Ecclesias personasque Ecclesiasticas  
se non extendentis, hoc ipso; quod à se-  
culari jurisdictione utroque Jure exemp-  
ta sint, per luculentos *textus antè cit.*  
ultra limites autem suos jurisdictionis ac  
potestas nulla porrigitur *l. fin. ff. de Ju-*  
*risdicīl. & c. fin. hic in 6.* Quare cum

P 3

Decio

Decio in c. Ecclesia cit. n. 27. Suarez cap. 34. cit. n. 13. & ab hoc relatis aliis eam legum Civilium obligationem, quantum clericos & religiosos afficit, immmediatè & directè non oriri ex vi ipsarum legum Civilium: sed ex Aequitate naturali exigente, eas ad pacem & felicitatem Reipublica conservandam æqualiter ab omnibus observari: fere sicut eadem exigit, ut leges, quarum materia subditis & legislatori communis est, etiam ab isto observentur. Quæ Ratio summos Ecclesiæ Prælatos ac legislatores Ecclesiasticos permovit, ut ejusmodi leges, Veritati Evangelica & Ecclesiasticae sanctionibus non derogantes approbarent, & deficitibus canonibus in judicio fori Ecclesiastici vellet observari, can. 1. V. Non quod, can. Si ad scripturas 7. can. De capitulio 9. dist. 10. c. Innotuit 12. de Arbitris c. 1. & 2. de Novi oper. numt. &c.

Hinc tamen legitimè non infertur, clericos ac religiosos etiam obnoxios esse penitus, in ejusmodi transgressores latis legibus Civilibus, aut à seculari potestate per sententiam infligendis; quia leges illæ respectu Ecclesiistarum & Personarum Ecclesiasticarum approbatæ à summis PP. tantum sunt quoad vim Directivam: non etiam quoad Coercitivam seu punitivam; 119. cum enim in ejusmodi personas seculari potestati omne judicium ademptum sit, c. At si clerici 4. c. Clericis 8. c. Qualiter 17. de Judicis c. Nullus 2. c. Si diligenter 12. de Foro compet. c. Saculares 2. c. idem in 6. c. Si judex 12. de Sent. Excom. in 6. sicut alterius criminis cujuscunque, sic etiam violatae ejusmodi legis rei clerici à seculari potestate, tam Jure latis, quam per sententiam imponendis poenam exempli, & ratione ejusmodi transgressionis conveniendi erunt coram Pralato suo Ecclesiastico, per cc. circ. & ab isto vel legibus constitutâ vel arbitriâ poenâ ple-

stendi & coercendi, citt. Suarez n. 15. Bellarmin. cap. 38. Palao p. 24. §. 6. n. 7. & Haunold. n. 87.

## ARTICULUS VIII.

## De Legum interpretatione.

## SUMMARIUM.

120. Lex clara non indiget interpretatione.
121. In interpretatione dubia spectanda materia & finis:
122. Totus contextus ponderandus:
123. Verba accipienda in significatione propria,
124. Et communis usus approbata;
125. Ut tamen lex non evadat otiosa;
126. Lex generalis generaliter accipienda;
127. Posterior contraria derogat priori;
128. Non etiam sine clausula statuto, non conformi Juri communi;
129. Et secundum aliquos decreto Concilij Generalis.
130. Verius huic constitutione Apostolica;
131. Et Concilij posterioris decretum derogatur sine clausula:
132. Etsi ei ita derogandi vim non habebant rescripta.
133. Lex posterior concilianda cum priori.
134. Favorabilis latam, Odiosa strictam exigit interpretationem.
135. Ob solam paritatem Rationis lex non extenditur,
136. Saltem ad casum, sub verbis lati acceptis non comprehensum.
137. Ita comprehendendi censentur Correlative,

138. Aequi-

138. *Equiparata & Connexa,*  
139. *Et causis similiis, alio Jure non de-*  
*cisis.*
120. **J**uris cuiuscunque anima, & inde or-  
tæ obligationis mensura, est legis-  
latoris intentio ac voluntas, *can.*  
*Humana 22. q. 5. & l. Scire 17. §. 2.*  
*ff. de LL. de qua cùm ex ipsis textùs ver-  
bis, aut aliunde constat, opus non est  
ullà interpretatione.* Ne autem ista,  
cùm lex dubia est, ab illius mente ac vo-  
luntate facile aut nimùm aberret, usui  
esse poterunt Regulæ sequentes.
121. Prima, Specienda ante omnia alia  
legis materia: &, prout ipsis natura ex-  
iget vel patietur, illius dispositio latam  
vel strictam accipiet interpretationem.  
Principiū vero p̄ oculis habendus est  
finis per legem intentus, & causa seu  
ratio, quā ad eam condamnandam legisla-  
tor principiū iter est inductus, *c. Intelli-*  
*gentia 6. de V. S.* Quæ autem legis ma-  
teria, per eāmque intentus finis sit, ex  
Proemio sive initio colligi solet, & ple-  
rumque facilè potest, arg. *l. Si procurá-*  
*torem 8. pr. ff. Mandati & l. Regula. g. §.*  
*5. V. Sed licet ff. de l. & F. l. Tiraquell.*  
*de Causa cessante limite. 1. à n. 64. Suá-*  
*rez Lib. 6. de LL. cap. 1. n. 11. & Lai-*  
*man Lib. 1. tract. 4. cap. 18. n. 4.*
122. Secunda Ponderandus est totius legis  
vel canonis contextus. Ratio clara redi-  
ditur *l. 24. ff. de LL. ubi Celsus ICTus*  
*ait, Incivile est nisi totâ lege perspectâ,*  
*una aliquâ particulâ ejus propositâ judi-*  
*care, vel respondere.* Suarez cit. *cap. 1. n.*  
*11.*
123. Tertia, Verba in interpretatione  
accipienda propriè, hoc est, secundum  
propriam & usu receptam significa-  
tionem, *c. Inter 2. V. Sed neque de Trans-*  
*lat. Episc. l. Non aliter 69. ff. de legat.*  
*g. Ratio est;* quia verba in communi-
- sermone accipiuntur in propria & usu re-  
cepta significacione. Ergo etiam &  
multò magis in legibus, quibus ad men-  
tem & voluntatem suam subditis expli-  
candam utitur legislator; ut ita ejus mens  
& intentio sit manifesta, *can. Erit autem*  
*2. dist. 4. & sequiori interpretatione in*  
*sensum ab ejus mente aliænum non faci-  
lè trahatur & eludatur.* Tiraquell, *in l.*  
*Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V.*  
*Libertis n. 45. & cit. Suarez n. 8.* Rectè  
tamen hæc Regula limitatur imprimis:  
nisi ex verbis propriè acceptis sequatur  
iniquitas aut absurdum, arg. *l. Ambigua*  
*19. l. Nulla 25. ff. de LL. Ratio est;* quia  
aliàs non est rationabilis & justa, con-  
tra *can. cit.* Deinde, nisi aliud luadeat  
praxis, ut mox planius constabit.
- Quarta, Maximi faciendus est com-  
muni usu approbatus legum intellectus  
& consuetudo: quam tanquam opti-  
mam legum Interpretem, *l. Sed Sea 35. ff.*  
*de LL. & c. Cùm dilectus 8 de Confuetud.* in verborum interpretatione præferen-  
dam, cum Bartolo in *l. Non dubium 5.*  
*C de LL. docent passim ICT<sup>i</sup>. teste cit.*  
*Suarez n. 9.*
- Quinta, Omnis interpretatio, etiam *125.*  
in materia penali & odiosa sic facienda  
est, ut lex non evadat inutilis & otiosa:  
sed aliquid operetur, arg. *c. In iis 30. de*  
*Privilegi, cùm in omnibus aliis actibus ac*  
*negotiis, etiam inter privatos gestis, ver-  
ba sic exaudienda sint, ut aliquid operen-  
tur & superflua non sint, l. Item veniantur*  
*20. §. 6. in fine ff. de Petit. heredit. Tus-  
chus Prætic. V. Interpretatio conc. l. 330.*  
*n. 22. id multò magis obtinebit in lege, quæ*  
*specialiter rationabilis, iusta, necessaria,*  
*vel utilis esse debet communitat, cui pro-  
mulgatur, *can. Erit autem lex 2. dist. 4.**  
*Felinus in c. Translato 3. n. 14. Covarru-  
vias Lib. 3. Var. cap. 3. n. 9. & Suarez*  
*cit. Lib. 6. cap. 2. n. 7.* Atque hæc cau-  
sa est,

sa est , em interdicto Ecclesiastico sup-  
posita civitate , interdicta etiam subur-  
bia censeantur , c. Si civitas 17. de Senta  
Excom. in 6. & nomine testamenti quod  
facere usurarii prohibentur , etiam veniat  
condicilli , c. & §. fin. de Usuris in 6. ne  
alias Canonica dispositio facile eludatur ,  
& careat effectu , Glossa in c. cit. V. Alter  
fa. Etia.

**126.** Sexta , Lex generalis omnes species  
& proprias significata , five , ut aliqui ;  
nec male , loquuntur , lex exprimens ge-  
nus sub isto contentas species omnes per-  
inde ferè , ut si singulas expressisset , com-  
prehendit , arg. I. Si chorus 79. ff. de Lea-  
gat . 3. quia verba generalia , ut sonant  
generaliter accipienda sunt , l. 1. ff. de Lea-  
gat . prestand . & ubi lex non distinguit ,  
neque nos distinguere debemus , Bartol .  
in l. de Pretio 8. ff. de Publ. in rem act .  
arg. huius l. & can. Confusio 2. q. 5. ibi .  
Quod SS. Patrum documentum sanctum  
non est , superstitiosa adinventione non  
est presumendum .

**127.** Septima , Lex posterior priorem ,  
cui contraria est , abrogat vel ei deroga-  
t : licet nullam ejus faciat mentionem ,  
l. Sed & posteriores 28. ff. de LL. &c. I.  
in 6. Ratio hoc texu redditur ; quod  
Romanus Pontifex & quivis Princeps  
supremus , l. Omnitum 19. C. de Testam. )  
omnia Jura in scrinio pectoris sui cense-  
tur habere , propter assistentes ipsi viros  
doctos & Juris peritos , quorum scientia  
ac prudentia adjuvatur . Unde Constitu-  
tionem antiquæ contrariam condendō ,  
cum utraque simul consistere non potest ,  
priorem tollere censetur , arg. I. Pafla  
novissima 12. C. de Patis , Vivianus in c.  
1. cit. pr. & ibi Laiman. n. 1.

**128.** Excipienda tamen sunt statuta ,  
consuetudines ac privilegia specialium  
locorum & singularium personarum ;  
hac enim , cum innumera & diversissima

sint , à Papa probabiliter ignorantur , c. 1.  
cit. atque idcirco per conditam ab isto  
postea legem contrariam Universalem re-  
vocari non presumuntur : nisi huic in-  
serita sit claufula derogatoria saltem ge-  
neralis ; Non obstante quocunque statuto  
vel Confuetudine &c. Covarruvias Lib.  
3. Var. cap. 13. n. 4. in fine & Gaill. Lib.  
1. observat 18. n. 2. Ubi tamen

Dubium occurrit , an Constitutione  
sive lex universalis posterior sine expre-  
sa mentione etiam non derogat statuto ,  
edito secundum Jus commune ; nam huic  
etiam expressè derogandum , ut tollatur ,  
vult Joān. de Lignano in c. 1. cit. ob isti-  
us textus generalitatem ; quod talia non  
minus quam alia locorum statuta à legis  
conditore probabiliter ignorantur . Sed  
opus est distinctione ; vel enim statuto  
commune Jus solū repetitur ac robo-  
ratur , vel insuper ei aliquid additur ? Si  
posterioris hoc , solā legis universalis re-  
vocatione ei non derogari , facile conce-  
do ; quia hujusmodi additione statutum  
alteratur , ut superiori legem revocanti  
non satis cognitum sit . Si prius , cum 130  
lege etiam ipsum sublatum videtur , eti-  
amsi nulla ejus mentis fiat ; quod tale  
statutū Juris communis quādā tantum  
declaratio seu propositio , & ideo tantum  
editum sit , ut Jus commune à subditis  
magis attendatur & observetur : & pro-  
pterea à superiori , Juri communi per le-  
gem posteriore derogante , non igno-  
rari intelligatur , Felinus in c. 1. de Re-  
script. n. 15. Azor p. 1. Institut. Lib. 5. cap.  
26. q. 17. & Laiman in cit. c. 1. in 6.  
n. 15 .

Excipiunt etiam magni in Jure no-  
minis DD. decreta Conciliorum gene-  
ralium : iisque contraria lege vel Consi-  
tutione Apostolica derogari , negant si-  
ne expressa mentione per claufulam ,  
Non obstante quacunque lege vel Consi-  
tutione

*tutione in Concilio generali editâ: in quâ sentum eos deduxerunt textus c. Nonnulli 28. pr. de Rescript. c. Eam te 4 de Etat. & qualit. & præfertim c. Ex parte 3. de Capellis monach. quibus literæ Apostolicæ tanquam nulla reiciuntur; quod obvient decretis Conciliorum, & istorum non faciant expressam mentionem. Ratione idipsum suadent; quod generalium Conciliorum decreta magna deliberatione ac maturitate condantur: eâaque ob causam continent vim clausulæ, derogant Constitutionibus ac decretis contrariis postea edendis; ut ista vim & vigorem legis aduersus ejusmodi decreta non habeant, nisi istorum saltem generalem faciant mentionem.*

*Quin, si Concilium generale novissimum, ut hodie Tridentinum, sit, ut Constitutio vel decretum postea publicatum ei deroget, necessariâ putant clausulam, quâ ei nominatim, & non solum generali Concilii vocabulô derogetur: quod defumunt ex Stylo Curia Romana, concessionibus Apostolicis frequenter inferentis clausulam, Quatenus decretis Concilii Tridentini non aduersantur.*

*132. Sed, ne exceptio illa à Juris Regulis & ratione longius abeat, & ipsis S. Synodi Tridentinae decretis facile impugnetur, dicrimen statuendum est inter Rescripta & Constitutiones Apostolicas vel decreta generalium Conciliorum; quantumvis enim, ut rescriptum seu concessio Papæ particularis ejusmodi decreto vel Constitutioni deroget, clausula derogatoria ferè necessaria sit, ut ad sequentem Rubricam declarabitur: alia tamen ratio est imprimis Constitutionis Apostolicæ generalis; ista enim, si Concilii generalis cujuscunque decreto anteriori contraria sit, hoc abrogare eive derogare, hoc ipso, censetur, ut arg. c. 1. &c. Sed & posteriores cit. cum Archi-*

*diacono, Joan. Monacho, Geminiano in c. 1. cit. & Felino in c. Nonnulli cit n. 5. in bujus c. textum docet Fagnanus n. 29. Ratio est; quia, cum eius conditor Papa omnia Jura, & tam Conciliares quam Apostolicas suorum Prædecessorum factiones generales, in scrinio pectoris sui habeat: & ad condendas novas Constitutiones non nisi consiliâ ac deliberationis maturitate maximâ procedat, sicut Prædecessorum suorum Constitutionibus, sic etiam generalium Conciliorum quorumcunque decretis contrarium Jus novum, etiam sine illorum mentione ac derogatione expressa, publicando, ista non minus quam illas revocare censetur, eō ipso; quod Constitutioni vel decreto Conciliari directè contrarium sit, & cum eo conciliari ac consistere non possit. Confirmatur; quia, cum Conciliorum generalium decreta, ut legis Ecclesiæ Universalis vim obtineant, à fide Apostolica approbari necesse sit, inter ea & Constitutiones Apostolicas, vim legis Ecclesiæ Universalis obtinentes, quoad derogationem vel abrogationem, differencia statuenda non est.*

*Deinde alia, quam rescripti, ratio est decreti editi in Concilio generali posteriori; istò enim, etiam de decreto anteriori clarè contrarium sit, decreto Concilii anterioris, etiam nullâ ejus mentione expresse factâ, derogari, iidem censent; quod, cum Concilii posterioris Patres anteriorum decreta non ignorent, & nova decreta maxima consilii ac deliberationis maturitate etiam ipsi condant, anteriorum conciliorum decretis directè contraria statuendo, illa tanquam moderno Ecclesiæ statui non amplius convenientia revocâsse censeantur, eō ipso; quod utraque simul consistere non possint. Quod confirmatur ex variis decretis S. Synodi Tridentinae, quibus Lateranensis,*

Q

nensis, Viennensis, & aliorum generalium Conciliorum decreta, sine expressa istorum mentione sublata vel immutata, eruditè ostendit Fagnanus *in c. Nonnulli cit. à n. 42.*

Neque cum his pugnant *c. Nonnulli, c. Eam te, &c. Ex parte cit. textus;* quia his sermo est de rescriptis, quibus sine expressa clausula Concilii generalis anterioris decretis non derogari omnino evincunt, & jam est insinuatum: non de posteriorum Conciliorum decretis; de his enim perinde, ut de Constitutionibus Apostolicis, procedit dispositio *c. i. cit. in 6.* Ratio disparitatis inter has & rescripta luculenta est; quia Constitutiones Apostolicæ & decreta Conciliorum multò majori consilio, deliberatione, circumspécione ac maturitate fabricantur & publicantur, quām concedantur rescripta: quā sepe per ambitiōnem atque importunitatem impetrant & multitudinem occupationum concedentis, ad contraria jura anteriora unūm serio applicare non valent, emanant. Unde exequum & rationi valde consentaneum est; ut, licet Constitutiones Apostolicæ & decreta Conciliaria anteriori hujusmodi Juri Universalis, siue ejus expressa mentione derogandi vim habeant: ista tamen careant rescripta, nisi ejusmodi Juris Universalis anterioris mentionem ac derogationem expressam contineant, *Glossa in c. i. cit. V. Noscatur & in c. Ex parte cit. V. Nulla menio, Laiman in c. i. cit. n. 9. & Fagnanus l. cit. n. 32.* cum paulò antē *n. 30.* monuisset, si quando in posteriori Constitutione vel decreto, per modum legis editō, priori expressè derogetur, id superabundantis & majoris declarationis potius, quā illius necessitatē causā ita factum, censerit.

*I 33. Octava Regula est, Nulla tamen*

lex posterior priorem omnino abrogat, eive derogat: nisi sit ei ita contraria, ut cum ea nequeat conciliari; quia correctione legum vitanda est, quod fieri potest, *c. Cū expedit 39. de Elect. in 6. & l. Precipimus 32. in fine C. de Appellat.* Cuius ratio ulterior est; quia Jus commune conditum est favore boni publici: cui proinde illius mutatio noxia & odiosa censetur. Unde leges & Constitutiones novæ ac posteriores, cū apta expositione possint, ad priores & antiquas trahi & C verbi aliquando etiam impropriæ acceptis) secundum istas intelligi debent, *l. Sed & posteriores cit. & l. Non est novum 26. ff. de LL. Mechon. de Arbitr. jud. casu 499. n. 22. & Palao Tract. 3. disp. 5. p. & §. 3. n. 14.*

Nona & ab omnibus recepta Regula *134.* la est, Interpretatio in odiois stricta, & lata in favorabilibus præferenda est; quia *Odia restringi, & favores convenit ampliari,* tenor est *Regule 15. in 6.* quæ defumpta videtur ex *l. Cū quidam 19. in fine ff. de Liber. & postib.* Propter quam causam lex favorem concedens filiis, ad adoptivos: legitimis, ad legitimatos: Religiosis, ad novitios porrigitur. Ratio Regulæ est; quia hoc suadet humanitas, quā maximè addecet hominem: quem ad liberationem, quā obligationem & condemnationem expediat esse proniore. Porro quānam lex odiois aut favorabilis sit, *ad Reg. Odia cit. accurate discutietur, Lib. 5. tit. 41. §. 3.*

Decimò, pro generali Regula tradi à multis, magni in theoria & praxi nominis, DD. folet Axioma, *Ratio ubi est eadem, ibi debet esse eadem Juris dispositio, arg. l. Quedam 9. §. 2. ff. de Endendo l. Illud 32. ff. ad L. Aquil.* ex quo multi legem ob solam paritatem vel identitatem rationis extendi, sed cum tot limitati-

mitionibus docent, ut dogma gener-  
liter traditum resorbere per partes to-  
tum videantur. Unde.

Magis arridet doctrina, quam cum  
Suarez Lib. 6. cit. cap. 3. n. 4. & 9. defen-  
dunt Palao Tract. 3. disp. 5. p. 3. §. 4. n. 2.  
Haunold Tract Proem. de I. & I. n. 286. &  
§ 9. & aliū RR. qui legē ab uno casu vel per-  
sona ad casum & personam aliam ob so-  
lam paritatem, jmd & identitatem illā re-  
stè extendi, negant: nisi casus vel persona,  
ad quam extensio fit, sub lata verborum  
forma comprehendatur. Ratio est: quia,  
ut communē pronuntiatum habet, *Ratio  
legis non est lex*: qualis tamen est id, quod  
solum vim habet statutum ab uno ad al-  
terum extendendij ut, quod dispositum de  
illo est, de hoc quoque dispositum intel-  
ligatur. Ratio ulterior est: quia, licet  
eadem vel major ratio legislatorem mo-  
vere potuisset ad idem statuendum etiam  
de altero, potuit tamen eum etiam non  
move: vel; quia noluit: vel; quia  
judicavit non expedire, ut lege omnia vel  
simul comprehendantur vel omittantur;  
sic enim Clement 1. de Elec. ex ratione;  
ne disparis habitus vel professionis homi-  
nes socientur in eodem monasterio, ca-  
vetur; ne in istius Prælatum eligatur al-  
terius habitus vel professionis Religiosus:  
qua tamen ratione non obstante eligi Re-  
ligiosus potest in alterius Ecclesiæ Secula-  
ris vel Regularis Episcopū: quantumvis e-  
tiam sic diversi habitus vel professionis ho-  
mines socientur, Clement. cit. V. Per hoc.

I 36. Dixi tamen, *Nisi sub lata verborum  
forma comprehendatur*; quia, quando  
unius casus aut personæ mentio sit potius  
exempli gratiâ, quam animō dispositio-  
nem ad eam restringendi, legem de aliis  
quoque exaudiendam, communi DD.  
fententiae facilè concedo, cum Laiman in  
e. Si postquam 33 de Elec. in 6. n. 6. Cense-  
tur autem legislator alios casus vel per-

sonas comprehendisse, quando extensio-  
ne non admissa sequeretur iniquitas ali-  
qua vel absurdum: ad quæ cavenda ver-  
ba legum etiam impropriè (cur non la-  
tè?) accipienda, supra est dictum.

Regulariter autem, ex tali causa 137.

extensio facienda est primò, in correla-  
tivis, quā talibus; quòd de istorum uno  
dispositum, de altero quoque dispositum  
censeatur, Everard. Legal. arg. loco à  
Correlativis n. 3. Navarrus Manual. cap.  
22. n. 72. & cit. Suarez cap. 4. n. 7.  
sic enim exemptio mariti à debito uxori  
adulteræ reddendo, ad uxorem: facul-  
tas resiliendi à sponsalibus ob absentiam  
sponsi permitta sponsæ, ad sponsum:  
statutum successionem marito concedens  
in bonis uxoris, ad hanc extenditur;  
quòd sine tali extensione statutum eva-  
deret iniquum.

Secundò, in iis, quæ Jure æquipa- 138.

rantur, Navarrus in can. Panæ 18. dis. 1.  
de Pœnit. à n. 14. Barbola in 1. Si con-  
stante 24. pr. ff. Soluto matrim. n. 99. &  
cit. Suarez n. 9. sic enim excommunicatio  
lata in surripiuentem centum florenos,  
extenditur ad surripiuentem ejusdem pre-  
tii calicem vel torquem. sic, quia reli-  
giosus & monialis, Abbas & Abbatissa  
in Jure æquiparantur, ideo, sicut Reli-  
giosus in Abbatem, si monialis in Ab-  
batislam monasterii diversi habitus vel  
professionis eligi nequit, Glossa in Cle-  
ment cit. V. Homines de Elec. & ibi Pa-  
normit. n. 1. sic propter æquiparationem  
postulationis cum electione disposita de  
ista, quando illius naturæ non repugnant,  
& ratio eadem utriusque est, ad illam ex-  
tenduntur, Glossa fin. in c. 1. de Postulat.  
Prælat. & Navarrus in can. Pœna cit. n. 12.

Tertiò, in connexis ita, ut unū alte-  
ri subordinetur, vel in isto contineatur  
tanquam pars in toto, aut imperfectum  
in perfecto; in his enim, cui licet, quod

Q. 2. est plus,

est plus, etiam licet, quod est minus, arg. Reg. 53. in 6. sic enim cum illegitimo dispensare valens ad sacerdotium, dispensare cum eo etiam valet ad Ordines minores, Barbola in Reg. cit. n. 12. qui potest facere testamentum, etiam codicilū facere potest, l. Divi. 6. §. 3. & l. Conficiuntur 8. §. 2. ff. de Jure Codicilli. sic etiam Constitutio loquens de Vicario Episcopi, ad Vicarium Capituli sede vacante: & statutum à successione excludens filiam, ad neptem extenditur, l. Liberorum 220. ff. de V. S. Navarrus l. cit. n. 7.

**Quartū**, cùm pro aliquo casu de-  
cidendo nulla lex habetur, alterius casus  
similis decisio Iure facta iudici est ample-  
ctenda, ut colligitur ex l. Non possunt 12.  
ff. de LL. & communi pronuntiati, quō  
dicitur calum expresso similem à lege non  
esse omisum, arg. c. Translato 3. ubi Fe-  
linus n. 11. & Tiraquell. de Retractu  
Consanguinit 5. 2. Gloss. 1. n. 19.

### ARTICULUS IX.

#### De Legis Mutatione & Cessatione.

##### SUMMARIUM.

- 140. *Legis obligatio tollitur causā ejus finali,*
- 141. *Totā & adaequatā,*
- 142. *Respectu totius communitatis,*
- 143. *Et publicē cessante:*
- 144. *Latā lege contrariā:*
- 145. *Consuetudine legitimè prascriptā:*
- 146. *Privilegiō & Dispensatione.*

**L**Ex &, quam inducit, obligatio di-  
versimode tollitur vel mutatur:  
& primò quidem cessatione cau-

se: non merè impulsivæ, sed finalis, sive  
ejus, cuius gratiā ea principaliter lata  
fuit & promulgata, S. Thomas 1. 2. q.  
96. art. 6. Sylvester V. Lex q. 9. & Suar-  
rez Ltb. 6. de LL. cap. 9. n. 5. Ratio  
est partim; quia cessante causa cessat  
effectus, c. Cum cessante 60. de Appellat,  
partim vero; quia, sicut lex ab initio  
non subsistit sine causa publica necessi-  
tatis vel utilitatis, ut colligitur ex can.  
Erit autem 2. diff. 4. sic, ita deficiente,  
legem eaque inductam obligationem ces-  
sare, est necesse.

Ea autem causa seu finis legis ali-  
quando ipsi legis materia sive actioni eā  
præcepta aut prohibita, vg. auditioni  
Misericordie vel jejunio intrinseca; ut ipsa ejus  
modi actionis honestas, vel si actio pro-  
hibita sit, ejus dishonestas: aliquando  
extrinseca sive ab ista distincta est, ut vg.  
auditionis Misericordie impetratio beneficij a-  
licuius à Deo, & jejunii satisfactione pro  
peccatis, edomatio carnis, vitoria ten-  
tationis &c. aliquando ei partim intrin-  
seca partim extrinseca est: sicut sit, quan-  
do actio non solum propter suam honesta-  
tem vel in honestatem, sed etiam ad bo-  
num aliquod ejus executione obtinen-  
dum, vel ad malum omissione averten-  
dum præcepta vel prohibita est. Quō  
præmisso

Ut legis obligatio hoc modo tolla:  
tur, imprimis cessare debet ejus causa  
finalis tota: ut, si ejus materia sive actio  
principaliter, non propter finem ex-  
trinsecum tantum, sed etiam propter  
intrinsecum præcepta est, legis eam pra-  
cipientis obligatio non cesset. nisi cesset  
uterque: ac proinde, si beneficii obti-  
nendi, exhibenda satisfactionis, carnis  
edemandæ & vitandæ temptationis causa  
cessante, æque principaliter intenta acti-  
onis honestas perseveret, lex non cesset,  
Covarruvias in c. Cum effe 10. de Testa-  
ment. 11.

ment. n. 9. Castro Lib. 1. de Lege penal<sup>i</sup>  
cap. 5. docum. 3. Suarez cit. cap. 9. n. 9.  
& Salas disp. 2. 1. de LL. f. 3. n. 34.

Deinde, si lex conflat pluribus  
membris, sive articulis, à se invicem  
separabilibus, unius fine adaequatō cef-  
fante, ejus tantum articuli obligatio cessat,  
aliis vigorem & obligandi vim retinenti-  
bus, si eorum causa finalis perseveret;  
ne utile per inutile vitetur, contra Juris  
Regulam 37. in 6. Navarrus in c. Si  
quando §. de Rescip. except. II. n. 10.  
& cit. Suarez n. 18.

142. Præterea, ut hoc modō legis obli-  
gatio cesse, ejus causam adæquatam cef-  
fare, necesse est, non respectu unius  
tantum vel alterius, sed universim sive  
respectu totius vel majoris partis com-  
munitatis, pro qua est lata; sic enim lex,  
ad cædes, rixas, aliisque incomoda vita-  
nda, subditis nocturnam commemationem  
per plateas civitatis sine lumine, vel ar-  
morum gestationem prohibens obligat  
etiam imbellies & imbecilles, à quibus  
ejusmodi aut alterius incommodi pericu-  
lum non est. Ratio est; quia publicè  
interest, leges ab omnibus communiter  
observari; quod, si non ab omnibus  
observarentur, facile eluderentur,  
Navarrus Manual. cap. 16. n. 37. Co-  
varruvias p. 2. de Sponsal. §. 9. n. 8. cit.  
Suarez cap. 7. n. 3. Laiman Lib. 1. tract.  
4. cap. 21. n. 3. V. Secundū & Palao  
Tract. 3. disp. 5. p. 1. n. 11. Excipien-  
da tamen est lex, fundata in præsumptione  
doli, culpæ, damnificationis, in quolibet  
casu particulari intervenientis; hanc  
enim causu, quod dolus, culpa vel damni-  
ficatio non intervenit, in conscientia  
saltē ante sententiam non obligare, cum  
Panormit. in c. Quia plerique notat cit.  
Laiman n. 4. & dictum est supra n. 87.

143. Demum, eam causæ cessationem  
publicè innotescere, necesse est, ut legis

obligatio ex ea cesse, cit. Suarez cap. 9.  
n. 12. & Palao n. 6. Ratio est; quia, si-  
cū lex obligat communitatē, cui pro-  
mulgatur, & ejus ratione singulas per-  
sonas non obligat, nisi obliget & illam:  
sic etiam singulas personas obligare non  
definit, nisi obligare definit communita-  
tem: cui, ut ex cessatione cauæ deoblige-  
tur, ejus cessationis notitia necessaria est.

Secundū, lex mutatur vel omnino  
tollitur per derogationem ei aliquid de-  
trahendō, vel per abrogationem eam to-  
tam tollendō: quod ab ejus conditore,  
istius successore, & utriusque superiore  
saltē eo, qui superiore rem alium non re-  
cognoscit, fieri possit, arg. c. 1. de R. I.  
exploratum.

Dubium autem est, an legis con-  
ditor istiusque successor derogandō abro-  
gandō mutare vel tollere valeat legem  
a superiore, vg. Episcopus à Papa, aut  
magistratus secularis à Principe confir-  
matam. Ratio dubitandi gravissima est;  
quia lex talis confirmatione roborata eva-  
dit lex superioris; cùm Papa & Princeps  
alius ea, quæ autoritate sua confirmat,  
sua faciat, c. Si Apostolice 22. V. Certum  
est, de Prab. & dignit. in 6. El. 1. §. 6.  
C. de Ver. surenunt. Quæ ratio, legem  
abrogandi eive derogandi potestatem  
conditori eō saltē causa non competere  
evincit, quod ea ab ejusmodi superiore,  
confirmata fuit cum clausula irritante ea,  
quæ contra essent statuenda vel atten-  
danda; quia hujusmodi claufulā in contrari-  
um aliquid statuendi facultas adempta in-  
telligitur, c. Dilectio 25. §. Præterea de  
Prab. & dignit. ubi Glofia V. Præterea,  
cit. Suarez cap. 26. n. 24. & Salas disp.  
18. f. 5. n. 11.

Si absque tali clausula lex seu statu-  
tū a superiore simpliciter confirmatū est,  
multum refert, an id ejusque confirma-  
tio extraneorum, vel immediatè publi-  
cum, vel

Q. 3

cum : vel ipsorum statuentium eisque subditorum favorem & utilitatem concernat ; priori enim casu ejus mutationem inferioribus ademptam, & legem vel statutum quodammodo ipsius confirmantis factum , cum Bartolo in *I. Omnes* 9 ff. de *I. & I. n. 33.* & Panormit, in *c.* Cūm accessissent 8. de *Constitut.* n. 2. volunt *cit.* Suarez *cap. 26.* n. 22. & Laiman *cap. 21.* n. 1. posteriori verò, siue cūm statutum immediate iporum statuentium eisque subditorum favorem concernit , superioris etiam Apostolicā vel Imperiali autoritate ab illis imputrata, statutum per ab aut derogationis viam mutandi facultatem non ademptam, cum *Glossa in c. Dilecto cit. V. Clausula Suarez & Salas l. cit.* docet Palao *disp. S. p. & §. 2. n. 8.* quōd, beneficīo & favore sibi concessō uti, statuentes non tenentur, hoc ipso; quōd favori pro se principaliter introducto quilibet renuntiare valeat, *c.* Si de terra 16. de *Privileg.* & invito beneficiū non detur , *I. Invito* 69. ff. de *R. I.*

Ea autem legis per ab- aut derogationem mutatio fieri potest non solum expresa ejus mentione & revocatione facta : sed etiam sine tali ejus mentione nova lege ipsi ex toto vel ex parte ita contraria, ut cum ipsa nequeat conciliari, *I. sed & posteriores* 28. ff. de *LL. & c. I. in 6.* cuius textu rationem Bonifacius VIII. reddit ; quōd, cūm Romanus Pontifex & alius Princeps supremus Jura omnia in scrinio peccoris censeatur habere, Constitutionem condendō posteriorem, priorem ipsi contrariam ( quamvis de ipsa mentionem non faciat ) revocare nofcatur, *arg. I. Paetia novissima* 12. *C. de Paetis;* frustra enim esset lex nova posterior, si priorem contrariam non revocaret , *Glosa in c. cit. V. Singularium ubi Vi-* vianus pr. & Laiman n. 1.

Tertiō, legis obligatio mutatur

145.

vel tollitur non usu, sive usu & consuetudine contrariā legitimè praescripta , *I.* De quibus 32. ff. de *LL. & c. fin. de Constatu.* ad quam Rubricam hac de re plebius agetur.

Quartō ea, respectu unius vel plurimi personarum , relaxari & tolli potest per viam Dispensationis vel Privilegij, ab ejus conditore , istiūque successore vel superiore induiti. De privilegio *Lib. 5. tit. 33.* plenē : hōc locō & *Lib. 4. tit. 16.* de dispensatione agemus.

#### ARTICULUS X.

### De Dispensatione in Legē.

#### S U M M A R I U M.

147. *Natura Dispensationis in Legē;*
148. *Et differentia ejus à relaxatione voti ac juramenti:*
149. *A legis interpretatione:*
150. *A permissione & simplici licentia:*
151. *A privilegio & legis ab- vel derogatione:*
152. *Ab absolutione à peccatis & censuris,*
153. *Sensus DD. de dispensatione in legē Naturali:*
154. *Qua verius ulli, etiam Divina:*
155. *Et Divina lex humana dispensationi obnoxia non est.*
156. *Papa in legē Ecclesiastica quacunque:*
157. *Episcopi in Statutis diocesanis,*
158. *Et in Universali Ecclesie legē, in Jure non reservatis,*
159. *Sed expreſſe vel tacite permisſis casibus, dispensant:*
160. *Scilicet in materia levi & ſepe occurrēt;*

161. In

- 146.
- 161. In extraordinariis;
  - 162. Et dubiis etiam casibus;
  - 163. Ut & privilegio vel consuetudine sibi concessis;
  - 164. Iisdem casibus dispensant alii, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem.
  - 165. Parochia ejusmodi potestas Jure non est concessa.
  - 166. Justam causam exigit honestas:
  - 167. Non etiam valor dispensationis:
  - 168. Nisi ista relaxetur lex superioris.
  - 169. Dispensationi premitenda est cognitio cause:
  - 170. Que si bona fide existimat justa, dispensatio valeret.
  - 171. Merum Principis beneficium latam:
  - 172. Dispensatio strictam interpretationem in dubio exposcit;
  - 173. Nonnullis casibus exceptis.
  - 174. Latam tamen interpretationem admittit dispensandi facultas Ordinaria:
  - 175. Imo etiam delegata:
  - 176. Nisi dispensandum sit cum certa persona particulari.
- D**ispensationis nomine hoc loco non venit rerum communium distributione, ut 1. Corinth. cap. 9. v. 17. can. fin. disp. 43. &c. 1. Urbana 166. pr. ff de V.S. Sed exemptione à legge: quo lenius accepta, juris alicuius relaxatio esse, dicitur per definitionem; dispensare enim in lege dicitur superior, cum eam respectu alicuius relaxat, ipsum à legis obligatione eximendō, arg. can. Necessaria 6. can. Dispensationes Sc. 16. q. 7. Unde
- Dispensationi in lege affinis & simillima est ea, quae sit in voto & jura-  
mento: inter quam tamen & eam, quā lex relaxatur, id discriminis intercedit; quod dispensans in voto & juramento non relaxet legem sive Jus, voti & jura-
- 147.
- menti observantiam præcipiens: sed ex illis ortum debitum Dei nomine remittat: & in iis dispensatio semper alieno scilicet Dei nomine fiat; &, facta sine iusta causa non subsistat: in lege autem fere fiat nomine proprio, & sēpe sine iusta causa collata subsistat, Salas disp. 20. de LL. f. 1. n. 5. & f. 2. n. 7. & Palao Tract. 3. disp. 6. p. 1. n. 9.
- Præterea dispensatio in lege differt **149.** primò, ab ejus Interpretatione; quod dispensatio à superiori duntaxat: non, ut interpretatio, ab alio fieri queat: & superior in lege dispensans, non ut interpres, eam aliquo casu non obligare, sive hunc eā non comprehendendi, declarat: sed subditum à legis jam positae obligatione casu, eā alias comprehenſō, eximendō liberet, Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 9. n. 2. & Suarez Lib. 6. de LL. cap. 10. n. 2.
- Secundò, à Permissione; quia hęc **150.** non eximit à legis obligatione: sed ipsis obligantis culpa & penae obnoxiam transgressionē solummodo dissimulat ac tolerat, penam eā prōmeritam non infligendō vel exequendō: dispensatio autem à legis obligatione eximit, ut contra eam agens, non peccet, Suarez cit. cap. 10. n. 3. & Salas cit. f. 1. n. 5.
- Tertiò à simplici Licentia; cūm quia hanc petens & impetrans non petit vel impetrat lege impositae obligationis relaxationem: sed solummodo ponit conditionem necessariam ad honestatem actionis; itaque legem implet potius, quam contra eam agat: tum verē; quia licentia concedi ab eo potest, qui nequit dispensare; sic enim Religiosus, ad Ecclesiæ vel monasterij alterius Prælaturam electus, eam acceptandi licentiam à superiori suo petens & obtinens, solum implet conditionem necessariam ad honestatem acceptationis: non Juris relaxationem; cūm ullus

cum ullō impedimentō Canonicō dispensationem exigente, non laboret: & si aliquō laboraret, id per viam dispensationis relaxari non posset ab eo, qui acceptationis licentiam concedit. Similimodo religioso subdito, pecuniam accipiendo licentiam concedens, cum eo non dispensat in voto Paupertatis; cū dispensationem, si qua opus foret, concedendi careat potestate, arg. c. *Cum ad monasterium 6. de Statu monach.* & pœnitens, peccata sua revelandi licentiam concedens, Sigilli Sacramentalis legem, utpote omnino indispenſabilem, non relaxat, Suarez cit. cap. 10. n. 10. & Laiman Lib. 1. tratt. 4. cap. 22. n. 1. §. Tertio.

**151.** Quartō, à Privilégio; hoc enim non semper contra Jus commune sive ejus relaxatio est; sed aliquando præter Jus illud est, & ferē legis instar cum aliqua stabilitate ad plures actus datur: dispensatio autem semper contra Jus illud, & plerumque sine stabilitate ad unum aetum, vg. ad susceptionem Ordinum, beneficii Ecclesiastici collationem vel nuptialem contractum datur, Suarez cit. cap. 10. n. 13. & Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 1.

Quinto, à legis Ab. vel Derogatione; quia his lex tota, vel ejus pars, vel pro parte communitatis omniō tollitur; ut ejus obligatio cesset, l. *Derogatur 102. ff. de V.S.* non, ut dispensatio, persona aliqua aut etiam communitas pro certo anni vg. Quadragesimali tempore eximitur, cit. Suarez n. 12. Sanchez n. 1. & Laiman n. 1. in fine.

**152.** Sexto ab Absolutione à peccatis & censuris; quia ista non relaxatur Jus, sed ejus violatione contrafacta culpa & pena secundum Jus commune remittitur: propter quam cum Jure illo conformitatem ejusmodi absolutio non, ut dispensatio, exigit strictam, sed latam

interpretationem admittit, Panormit. in c. Tam literis 33. de Test. & attest. n. 3. & Suarez c. cit. n. 9.

Dubium nunc primò est, an dispensationi obnoxia sit lex sive jus Naturale & Divinum. Et hoc quidem, sive Divinum à Deo ejus conditore relaxari posse, Orthodoxorum nemo est, qui inficietur; quod jus Positivum quocunq; relaxari valeat à suo conditore, arg. c. I. de R. I. Ex qua ratione idem de Naturali Jure aliqui tentiunt; quod istius quoque conditor sit Dominus Deus, tanquam author ipsius Naturæ. Cui rationi non leve pondus addunt hujus Juris à Deo relaxati exempla; cum ed illicite secundum omnes sit directa occiso innocentis, carnale commercium cum non sua, violenta & furtiva contrectatio rei alienæ: Deus autem Isaci innocens occisionem Abraham, Genes. cap. 22. v. 2. Osœa susceptionem liberorum ex fornicatione, Osœa cap. 1. v. 2. & Egyptiorum despoliationem filii Israël, Exodi cap. 1. v. 35. præcepterit

Quin, idem & Divinum Jus humanae dispensationi subjectum, aliqui existimant: & de Naturali defumunt ex voto & juramento, quorum à Deo acceptatorum obligationem, ex Naturali Jure descendenter, Dei nomine & acceptata ab eo potestate Papa & Praelati alii relaxant. De Divina autem; quod Papa non infrequenter dispenset in vinculo conjugii spiritualis, initi per Professionem Religionis, & inter Episcopum & Ecclesianam suam intercedentis, e. *Inter corporalia 2. de Translat. Episc.* & quandoque carnalis matrimonii locum Rati, insolubilitatem suam habentis ex institutione Divina; cum ei quoque accomodata sint verba, *Quos Deus conjunxit, homo non separat,* Matth. cap. 19. v. 6.

Nihil-

154. Nihilominus legem sive jus Naturale, absolutè aliquid prohibens aut etiam præcipiens, ulli etiam Divinae relationis obnoxium esse, ex communi DD. sensu negant Covarruvias in Reg. Peccatum p. 2. cap. 6. §. 9. n. 3. Navarrus Conf. fil. 4. de Delfonat. impub. n. 16. cit. Suarez Lib. 2. cap. 14. n. 5. Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 4. & Pontius Lib. 8. de Matrim. cap. 2. n. 4. Ratio est; quia lege sive Jure Naturali prohibita, vg. odium Dei, blasphemia, perjurium, in-honestatem & malitiam sive cum recta ratione repugnantiam intrinsecam habent: quæ autem talam malitiam sive repugnantiam habent, honesta & licita fieri ulla potestate non possunt; cum essentia rerum immutabiles sint, sicut & ipsum Jus Naturale, per tradita in Proam. n. 34.

Pro ejus relaxatione deducta vim, quam primò occursu magnam præse-runt, attentiori mentis oculo confide-rata, planè amittunt. Et primum qui-dem ex dictis evanescit; eō ipso enim; quod actus Naturali Jure vetiti intrinsecè mali & ex natura sive essentia sua in-honesti sint, à Deo summo & infinito Bono boni & honesti fieri non possunt.

Neque aliud evincunt exempla; quia occisio innocentis, commercium cum non sua & clancularia violentá rei ad se non pertinentis ablatio intrinsecè mala solùm est, cùm sit invitò eō, qui vitæ & corporum rerumque humana-rum dominus est, de iisque disponendi jus habet: non etiam, si eorum do-mino præcipiente vel consentiente fiat. Cùm ergo Deus vitæ, corporum rerumque omnium supremus & absolutus do-minus sit, de iisque disponendi plenissi-mam habeat potestatem, occisio, com-mercium & ablatio illa intrinsecè mala non est iis circumstantiis, quibus sit Deo præcipiente vel consentiente.

Non majorem vim habent, quæ pro

155.

eius & Divini etiam Juris dispensatione humana sunt allegata; quia imprimis Papa & Prælati alii in voto & juramento non dispensant directè, sive conceden-dō, ut iis facta & à Deo acceptata pro-missio, dum acceptatio perseverat, non sit adimplenda; quia hoc intrinsecè ma-lum est: sed declarandō debitum, ejus-modi promissionis acceptatione erga De-um contraclūm, ab eo his illisve circum-stantiis remitti: vel potius id, accepta à Deo potestate ejusque nomine, justâ cauſa poscentē remittendō, per tradita in Pro-am. n. 37. Dein; quia relati conjugii Spiritualis utriusque, quam habet, in-solubilitas immediatè non ex Divino, sed Ecclesiastico Jure descendit. Demum; quia conjugium carnale Ratum Jure Di-vino, licet aliquam ipsorum contrahen-tium relaxationem minimè obnoxiam, non tamen, ut Consummatum, omnimo-dam insolubilitatem habet; ut colligi-tur partim ex eo; quod à Deo ad conjunc-tionem per Charitatem, inter Deum & animam justam intercedentem & pecca-to mortali solubilem, significandam sit in-stitutum, c. Debitum §. de Bigamis: partim; quod Evangelicum illud, Quod Deus coniunxit Sc., non de Rato, sed de Consummato duntaxat conjugio exaudi-endum sit cum Alexandro III. c. Ex pub-lico 7. de Convers. conjug. ut proinde ex commissione Divina, potestate faltem Apostolica, valeat relaxari: quod Eccle-sia Praxis docet.

Dubium Secundū est de potestate 156. dispensandi in Lege Ecclesiastica. Quam respectu omnium Christi fidelium Papæ competere, ab eoque non solùm Prædece-sorum suorum sanctiones Constitu-tionesque, & statuta atque Ordinationes Prælatorum inferiorum: sed Concilio-rum quoque ad mores pertinentia decre-

R

ta &

ta & merè humānos canones Apostolorum relaxari Ordinaria, à Christo immēdiatē accepta potestate posse, D. Thomæ Quodlib. 4. art. 3. Covarruvia p. 2. de sponsal. cap. 6. §. 7. n. 6. Suarez Lib. 6. de L. cap. 14. n. 2. & ceterorum DD. Orthodoxorum ienius, & ratio perspicua est; quia Papa Prædecessoribus suis potestate par, & supra Concilia est; cùm ab his decretis legis seu Juris Ecclesiæ universalis plenum' robur accipiant ab ejus confirmatione, ut patet ex c. Significati q. de Elect. Trident. Ses. 25. cap. 21. de Reformar. & Constitutione Pii IV. quæ incipit Benedictus edita 7. Calend. Febr. 1563. &, licet Apofolos in quibusdam prærogativis & gratiis cedat, jurisdictiōne tamen inferior nequaquam est; cùm in ea succederet B. Petro, & Christi vicariam in terris exerceat potestatem, pleniū declarandam infra Tit. 31. à n. 4.

157. Eadem in suis & antecessorum suorum legibus seu statutis & Ordinationibus cum subditis suis dioceſanis dispensandi potestas jure Ordinario competit Episcopis, arg. c. i. de R. I. etiam in Synodo dioceſana condita fuissent; quia statuta Synodalia, adhibito quidem Praetitorum inferiorum & parochorum consilio, sed ab ipso Episcopo conduntur, Navarrus Manual. cap. 25. n. 74. cit. Suarez cap. 15. n. 8. & Sanchez disp. 17. n. 33. Imò etiam, si ea sedis Apostolicæ autoritate fuissent confirmata. Nisi confirmatione sua Papa obligacionem aliquam statuto addidisset, vel adjectisset clausulam, id veteram mutari aut in contrarium statuenda vel concedenda irritantem; quia sic, statura confirmandò ea fecisset sua, c. Si Apostolica 22. V. Certum de Prab. & dignit. in 6. & 1. 1. §. 6. C. de Vet. jure encl. eaque relaxandi facultatem ademislet.

158. Quin Sotus in 4. dis. 27. q. 1.

art. 4. & Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 7. n. 8. Episcopis in omni Canone seu lege Ecclesiastica dispensandi adſtruue facultatem: nisi illa exprefse reservetur, arg. c. Nuper 29. de Sent. Excom. quò relatus Innocentius III. ad Uratislavensem Episcopum rescriptit, conditorem canonis seu legis Ecclesiastica ab excommunicatione absolvendi facultatem eō ipso censi re concessisse; quòd eam ſpecialiter non refererat. Quod rescriptum DD. citr. porrigit ad Canones quoscumque: eorumque relaxationem Episcopis competere eō ipſo volunt; quòd ſedi Apostolicæ ſpecialiter non sit referata; quòd generalis hujusmodi potestas plurimum conferat ad providam & paternam gubernationem fidelium: quibus pro dispensatione in quaunque lege ad Papam recurrendi necessitas permoleſta & recurſus plerumq; difficultimus foret. Hinc certè in festerum ac jejuniorum obſervacione dispensationes ferē ſine ejusmodi recurſu peti ab Episcopis & ab his concedi sine scrupulo ſolent: Cuius rationis vim non parum auget Axioma, quòd Episcopi respectu ſubditorum dioceſanorum poſte dicuntur omnia, quæ rēſpectu omnium Christi fidelium Papa potest: niſi huic ſpecialiter ſint referata.

Sed neque hoc Axioma, neque argumentū à peccatorum & censurarum abſolutione ad Legum relaxationem du-  
& cum Juris autoritate vel ſolida ratio-  
ne nit, patebit ex tradendis Tit. 31. à n. 82. Specioſa etiam magis quam firma  
eſt ratio; quia, ne ejusmodi recurſus fre-  
quentior uſu & juſto difficultor foret, in  
legibus Ecclesiasticis dispensandi facultas  
Episcopis permifſa eft iis caſibus, pro  
quibus ea neceſſaria eſſe viſa eft ad fide-  
lium rectam gubernationem.

Quare melius in Canone ſive lege 158.

Eccle-

Ecclesia universalis dispensandi facultatem, extra casus expressè vel tacitè Episcopis permisios, cum Glossa in c. *Dilectio* 15. de Temp. Ordinat. V. *Permitta & Par-*  
normit. in c. *Tam literis* 33. de Test. &  
arrest. n. 3. negant Sylvester V. *Dispensa-*  
tion. 14. Covarruvias, hac in re sibi non  
constans, p. 2. cit. cap. 6. n. 15. Suarez  
et. cap. 14. n. 4. Gutierrez Lib. 1. Q. 2.  
Canon. cap. 14. n. 4. Pontius Lib. 8. de  
Matrim. cap. 6. n. 1. & alii relatis Barbo-  
la de Offic. & Poteſt. Epist. alleg. 33. n. 18.  
Ratio obvia & solida est; quia superioris  
jura mutare & relaxare inferior potes-  
tas non potest sine illius consensu, can.  
*Inferior* 16. de Majoris. neque vim adi-  
mere vel impeditre valet voluntate illius,  
principiō vel prohibendō ad præstan-  
dum vel omitendum aliquid obligantis;  
cū rectæ gubernationis efficacia superi-  
oris voluntati inferiorē prævalere non  
permittat: & expressam tenere exigat,  
donec eā superior cedat & voluntate sua  
constitutam obligationem relaxandi fa-  
cultatem inferiori expresse vel tacitè con-  
cedat.

160. Hujusmodi autem facultas Episco-  
pis concessa censetur. Primò, quoties di-  
spensi posse in Jure, etiam imperfona-  
liter, sine expressa Episcopi mentione ha-  
betur, per tradenda Tit. 31. n. 34.

Secundò, in materia levi aut fre-  
quenter occurrente; sic enim in votis non  
reservatis, in festorum ac jejuniorum  
observatione, justa causa poscente, Epis-  
copi passim dispensant; quod pro iis, uti  
& pro reb⁹ minimis ad sedē Apostolicam  
recurrendi necessitas nimis onerosa sub-  
ditis, molesta Papæ: & diocesium guber-  
natio minus expedita Episcopis foret,  
Navarrus Manual. cap. 21. n. 21. citt.  
Suarez n. 9. & Laiman cap. 22. n. 4.

161. Tertiò, in casu extraordinario ur-  
gentis necessitatis ac periculi, moram &

ad sedem illam recursum non admitten-  
tis; tali enim casu dispensandi facultas à  
Papa Episcopis indulgeri, ex benigna  
quidem, sed Rationali ejus voluntatis in-  
terpretatione judicatur, Sylvester V. cit.  
n. 15. Navarrus Manual. cap. 22. n. 85.  
citt. Suarez n. 10. Pontius n. 7. & Bar-  
bola n. 27.

Quartò, in casu dubio, an res ege- 162.  
at dispensatione; hanc enim tali calu,  
si necessaria sit, Episcopo permisam, vo-  
lunt Saa V. *Dispensatio* n. 1. cit. Laiman  
n. 4. Barbola n. 19. & Palao *Tract* 3.  
*disp* 6. p. 5. n. 10. quod, licet dispensa-  
tio exigat strictam, eam tamen conce-  
dendi facultas latæ patiens sit interpreta-  
tionis, c. Olim. 16. de V. S. & I. Benefici-  
um 4. ff. de Confit. Princip.

Quintò, in aliis casibus, in qui- 163.  
bus dispensandi facultas Episcopis indul-  
ta privilegiò, vel consuetudine legitimè  
præscripta est comparata, arg. c. fin. de  
Confuetud. citt. Suarez n. 12. & Laiman  
n. 4.

Eandem potestate, quam Episcopi, 164.  
obtinent sedis Apostolica Legati, sede  
Episcopali vacante Capitulum Cathedra-  
le, & Pralati in certo territorio in ejus-  
que clerum ac populum exercentes juris-  
dictionem quasi Episcopalem: uti &  
Pralati illi que similes superiores Regula-  
rium exemptorum respectu suorum sub-  
ditorum, cit. Navarrus cap. 12. n. 75.  
Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 3. à n.  
10. & Salas de LL. disp. 8. f. 16.

Quin ex Privilegio & Consuetudi- 165.  
ne, etiā necessitatis cauā introducta, ali-  
quando in Festorum ac jejuniorum ob-  
servatione dispensant Parochi, in locis à  
civitate Episcopali remotoribus consti-  
tuti: licet de Jure Ordinario, sicut cæte-  
râ fori externi jurisdictione, lic etiam dis-  
pensi careant potestate, Suarez Lib. 6.  
de Voto cap. 10. n. 11. & Laiman cit. n. 5.

R. 2

Dubi-

166. Dubium tertius est de necessitate causa ad dispensationem. Quia in re interest inter istius honestatem & valorem; ad illam enim sive, ut dispensatio honesta licitata sit, justam causam omnino necessariam, liquet ex can. Necesaria 6. can. seq. 1. q. 7. & ex decretis S. Synodi Trident. Ses. 24 cap. 5. Ses. 25. cap. 14. & 18. utroque de Reformat. Ratio aperta est; quia sine ulla hujusmodi causa à communione obligacione subditorum aliquem eximens committit vitium acceptiois personarum, & aniam prebet querelis aliorum, inaequitate offendorum & ægre ferentium illius onere se gravari, & alios sine causa liberari.

167. Ad valorem dispensationis an ejusmodi causa necessaria sit, pendet ab ipsius legis qualitate; cum propriæ legis ab eius conditore vel successore facta relaxatio, omni causa rationabiliter destituta & facta præcise, quia ita libebat, procul dubio subsistat, & sottiatur effectum; cum enim legis obligatio, sicut constituitur, sic pendeat à legislatoris voluntate moraliter perseverante, casu quo is unum vel plures eā adstringi non vult, respectu eorum obligatio cessabit, Panormit. in c. At si clerici 4. §. De adulteriis, de Judiciis n. 15. Felinus in §. cit. n. 17. citt. Covarruvias cap. 6. §. 9. n. 8. Suarez cap. 19. n. 6. &c. aliis DD. more suo. congettis, Sanchez disp. 17. n. 24.

168. In superioris autem lege sine legitima causa concessam dispensationem valore destitui, praeter alios cum citt. Covarr. n. 11. Suarez n. 1. Sanchez n. 4. tradunt Laiman cit. cap. 22. n. 11. & Barbosa alleg. cit. n. 3. & 13. Rationem reddunt; quod ex una, legem suam non temere sed rationabiliter, sive poscente vel suadente justâ causa, relaxandi potestem concedere præsumatur; cum teme-

raria & justâ causa destituta illius relaxatio, non tam dispensatio sit quam dissipatio, ad destructionem potius quam ædificationem tendens; ac proinde sine justa causa dispensans excedat limites sibi concessæ potestatis: quos egrediens, cum aliud quam sibi commissum agat, nihil, sive, quod idem est, invalidè agit. c. Dilecta 22. de Re scriptis & l. Diligenter s. pr. ff. Mandati. Unde

Infertur irritans esse primò, quavis potestate humana præcise pro voluntate arbitrio sine justa causa facta relaxationem voti & juramenti: quām minus propriè dictam dispensationem esse, est dictum; quod ita ergo Deus contra debita & obligations, non nisi justâ & rationabili causa interveniente, remittendi potestatem Deus ipsi etiam summo Pontifici concessisse præsumatur; cum sine ejusmodi causa facta debiti remissio dissipationis, non dispensationis habeat rationem, Glosa in c. Non est s. V. Adimplere de Voto, S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. citt. Suarez Lib. 6. de Voto cap. 17. n. 2. & Laiman cap. 22. n. 11. Secundò, ita concessam dispensationem in conjugio Rato, propter eandem rationem, in illius vinculo hoc ipso militantem; quod ejus, quam habet, insolubilitas ex Divino jure descendat, ut cum Anglico Doctore & Glosa citt. statuetur Lib. 4. tit. 19. n. 7. Tertiò, eandem sine rationabili causa concessam in residencia Episcoporum, parochorum & aliorum curatorum, per tradenda Lib. 3. Tit. 4. à n. 7.

Infertur secundò, dispensationes in impedimentis sacrae Ordinationis, collationis beneficiorum Ecclesiasticorum & conjugiorū; in observatione festerū ac juniorū: universali Ecclesiæ lege præceptorum vel Confuetudine receptorum, à Prælatis inferioribus, eam relaxandi facultatem quo-

tem quoconque, tam communi quam  
speciali jure, obtinentibus sine justa cau-  
fa & temere collatas valore ac viribus  
destitutas; quod, in iis ita dispensans, si-  
bi collata potestatis limites excedat per-  
inde, ut Oeconomus dissipans bona ac ju-  
ra, quorum administrationem habet: à  
que sic eiusmodi rerum dominium trans-  
ferti, negant citt. Suarez Lib. 8. de Ma-  
trim. disp. 17. n. 4. & Laiman n. 11. in  
fine.

169. Dubium quartò est de cognitione  
causæ: sine qua , sicut ab ipso conditore  
legis sua relaxationem subsistere : sic ab  
inferiore indultum valore destituti & im-  
petranti non prodebet, citr. Covarruvia  
cap. 6. §. 9. n. 8. & 12. Azor p. 1. Instit.  
Lib. 5. cap. 15. q. 9. Barbosæ alleg. 33.  
n. 4. & 5. hos testes, aliorum DD. com-  
munis est sensus-Ratio prioris est quod  
legis obligatio tota pendeat ab ejus con-  
ditoris istiusque successoris voluntate :  
posterioris ; quod dispensandi facultas  
inferiori non aliter indulta censeatur,  
quam ut in ejus usu servet ordinem Ju-  
ris, hoc ipso ; quod dispensationis exi-  
gat rationabilem & iustam causam, isti-  
us cognitionem exposcentis ; cum causa  
ejusque iustitia & rationabilitas non nisi  
cognita movere possit.

Reste tamen hoc loco DD. notant  
primò, non exigi judicialem: sed suffi-  
cere qualemcumque ejus iustitia cogni-  
tionem, sive ex ejus notorietate sive ex  
propositæ examinatione acceptam; cum  
ea undeconque accepta dispensatio ratio-  
nabiliter concessa intelligatur, Sylvester V.  
cit. in fine, Suarez Lib. 6. de LL. cap. 13.  
n. 16. & Pontius Lib. 8. cap. 15. n. 16.

170. Secundò , dispensationis causam ,  
quæ bona fide exposita & à dispensante  
pro iusta habita est, pro tali etiam habe-  
ri posse ab imperante ; ut illius gratiâ  
obtentâ uti possit ; quod dispensantem

legitimè processisse, suáque potestate non abusum præsumatur, donec contrarium appareat vel probetur, arg. I. Merid. 51. ff. Pro Socio, Sotus in 4. disf. 21. 2. art. 2. citt. Suarez n. 16. & I.aiman n. 2.

Tertiò, si Prælatus causam, ab im-  
petrante sibi fideliter expositam, iustum  
esse verisimiliter arbitretur, ex eâ con-  
cessam dispensationis gratiam validam  
fore: quantumvis eum circa cause justi-

tiā errare contingat; quod superior & ipse etiam Dominus Deus, cuius jus ita relaxatur, tali casu eam subsistere velle, rationabiliter praesumatur, Henriquez Lib. 7. cap. 14.n. 3. lit. y cit. Sanchez disj. 17. n. 8 & Laiman n. 8.  
Dubitatio est quinque, ex discussione in

Dubium est quinto, an dispensatio in 171  
dubio exposcat interpretationem strictam,  
vel latam patiatur. Ratio dubitandi est;  
quod dispensatio gratia quadam & be-  
neficium sit principis: cuius gratiæ  
concessiones & beneficia interpretatione  
nem recipiunt latissimam, c. Olim 16. de  
V.S. &c. Beneficium 3. f. de Constat. prin-  
cip. ut, licet illius vi trahi nequeant ad  
majora, expressis, similia tamen & vel  
maxime minora comprehendant, ex men-  
te Innocentii III. c. Ex parte 27. de De-  
cimia & c. Per venerabilem 13. pr. Qui  
filii legit. quorum locorum priori privi-  
legium, cuius naturam dispensatio imi-  
tatur: posteriori legitimatio, quæ dis-  
pensatio quadam est, interpretationem  
recipiunt latam; ut decimas percipienc-  
ti privilegium ad eas, quæ proveniunt  
ex novalibus: & legitimatio facta ad spi-  
ritualia, ad temporalia porrigitur, juxta  
Reg. Cui licet, quod est plus, licet utique  
quod est minus, quæ est 53. in 6.

Sed ista non minus explorata est al- 172.  
tera Regula DD. dispensationis acce-  
ptionem strictam preferentium latæ; ut  
illâ plus concessum non intelligatur ,

R 2 quam e-

quam ejus verbis propriè acceptis est expressum: & ab expressis ad similia & minoria quoque non extendatur, ut cum Iafone in l. Re conjuncti 89. ff. de Legat. 3. n. 178. Panormit. in c. Ad aures 8. de Rescript. n. 7. Beroio in c. cit. n. 29. Felino in c. Postulati 27. eadem Rubr. n. 8. Joan Andr. ibid. n. 11. & Interpp. alii docent Molina Tract 2. de I. § I. disp. 591. n. 2 Guttierrez Q. Canon. Lib. 2 cap. 13. n. 12. Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 1. n. 32. & Barbola de Offic. Episc. alleg. 33. à n. 7. id desumentes ex o. 1. §. Ille verò de Filiis presb. in 6. c. Cui de non sacerdotiali 27. de Prabend. in 6. Reg. Quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentiam & Reg. Qua à Jure communi exorbitant, nequaquam in consequentiam sunt transbenda, quarum illa 141. ff. hac 28. est in 6. Ratio solida est; quia dispensatio est relaxatio & violatio quædam Juris communis; quod, cum publica utilitatis intuitu conditum & ab omnibus receptum sit, favorable: & contraria odiosum presaque verborum acceptance restringendum potius quam largâ ampliandum est, quod ad illius læsionem & relaxationem tendit, arg. c. Sanè 9. de Privileg. Quare I. Beneficium cit. amplitudo his tantum, quæ in sui præjudicium princeps largitur; & in Reg. Cui licet cit. fundata à maiori ad minus arguendi ratio juris duxat communis concessionibus, & his etiam non omnibus accommodata: neutri verò locus est in dispensationibus, privilegiis & actibus aliis, tendentibus ad communis vel tertio quæstuti Juris læsionem, ut in l. cit. Jason n. 43 Bruneman. à n. 2. Felinus in c. Postulati cit. n. 11. & Barbola in Reg. cit. à n. 3. advertunt, & in ictius explicatione tradetur ad Rubr. de R. I.

Non magis urgent Innocentii Pa-

pæ rescripta; quia e. Ex parte cit. relatum privilegium seu conceffio decimarum non exorbitans, sed consentanea est dispositioni Juris communis, illas parochias, quas obtinenti monasterio concessio facta est, addicentis, c. Cùm contingat 29. c. Cùm in tua 30. de Decimis, ut alleg. cit. notat Barbola n. 3. & plenius dicitur ad Rubr. cit. Textus autem pr. c. Per venerabilem cit. in vim Juris perpetra allegatur; cùm ejus pr. (ut prætermittant; quod non in ipsa legitimatione, quæ odiosa, sed in legitimandi potestate, quæ favorabilis & extensio patiens est, à maiori ad minus argu), Covarruvias p. 2. de Sponsal cap. § 8. n. 9. observe) à Spiritualibus ad Temporalia argumentum ducatur in sola dubitandi ratione, allegata pro parte: non in Apostolica decisione; cum hæc illi neque initiat: neque, ob prolium ad temporalia legitimationem denegatam, sit conformis, cit. Sanchez disp. 2. n. 1. & Barbola Reg. Cui licet cit. n. 8. Cæterum, sicut ferè Juris, sic & proposita DD. Regula perpetua non est; cum, quatenus verba propriè accepta patientur, extensionem etiam dispensatio admittat non solùm, si publica utilitas intuitu concessa sit motu proprio; quod talis, licet Juris relaxatio etiam ipsa sit, ex mera tamen principis liberalitate procedat, c. Si motu 23. de Prabend. in 6. ut in ea locus sit arg. I. Beneficium cit. Felin. l. cit. n. 13. sed etiam, si indulta sit toti Religioni; cùm enim quæ pro ista facit, summa ratio sit, l. Sunt personæ 43. ff. de Religios. & sumpt. fun. favorabilis non minus erit dispensatio quam privilegium concepsum Religioni, Oldrad. consil. 300. n. 4. si clausa sit corpore Juris communis vel circa illius materiam versetur; quod hæc eandem quam Jus illud recipiat interpretationem, cit. Felinus

Felinus *limit.* 5. si concessa sit contra statutum vel consuetudinem loci, contrariam Juri; cum enim talis dispensatio reducat ad ius commune, istius instar favorabilis & patiens erit amplae interpretationis, Panormit. in c. Olim cit. n. 5. & Jason in l. Beneficium cit. a. n. 25. si ea, ad quæ extenditur, concessio accessoria, connexa, ab eoque ex natura rei vel Juris dispositione inseparabilia sint, cit. Felin. n. 18. & Jason n. 55. si dispensatio necessaria sit, vel extensio non admissa reddatur inutilis, arg. c. Si civitas 17. de Sent. Excom. in b. cit. Sanchez n. 14. & 16. has Regulae limitationes latè declarans.

**174.** Dubium denique est, an stricta interpretatione etiam coercienda potius quam extendenda sit potestas dispensandi: cui ansam præbet resolutio præcedens: cum enim potestas ista ad communis Juris relaxationem laetionemque non minus tendat quam dispensatio, quæ ejusmodi potestatis exercitium est; perinde ut dispensatio, si istam spectans dispensandi potestas odiosa erit, strictamque exiget interpretationem, arg. Reg. Odia: 15. in b.

Hac tamen ratione non obstante, dispensandi potestatem favorabilem latèque interpretationis patientem esse, do. gma unanimi DD. calculo receptum, & de ejusmodi potestate Ordinaria exercitium inde est; quod perquam utilis, immo necessaria sit ad bonum & rectam gubernationem communitatis: cujus interest legem sibi impositam occurrente casu, quod ejus observatio uni vel pluribus iusto gravior apparere, posse relaxari. De Delegata vero ratio est; quod ejus potestatis concessionem neque communi, neque tertio alicui quæsito Juri, sed ioli concedenti, sibi competentem potestatem communicanti, præjudicetur: atque idcirco tanquam mera gratia & beneficium prin-


cipis latè sit interpretanda, arg. Reg. Co. Olim & l. Beneficium cit. Panormit. in c. fin. de Simonia n. 3. Felin. cit. n. 11. limit. 4. Franc. in c. 1. de Filiis presb. in 6. n. 5. cit. Covarruvias cap. & §. 8. n. 6. & 11. Molina disp. 173. n. 9. Gutierrez cap. 13. n. 125. & aliis congestis Sanchez disp. 2. n. 1. Unde hi DD. inferunt, latè accipiendo absolvendi & dispensandi potestatem in omnibus casibus occultis ad forum contentiosum non deductis, excepta irregularitate ex homicidio voluntario orta, Episcopis cancellari à S. Synodo Trident. sess. 24. cap. 6. de Reformat.

Pro ejusmodi potestatis restrictione deducta ratio speciosa magis quam efficax est; quia illius communicatione, is cui communicatur, beneficiò afficitur sine laetione Juris alicujus tertii vel communis; cum, sicut de causis cognoscendi &c. sic etiam dispensandi potestatem sibi competentem delegari & inferiori communicari Jus non vetet, sed permitteat in bonum & favorem communitatis; ut istius membris in occurrentibus casibus facilius subveniatur. Neque refert; quod odiosum sit ejus potestatis exercitium, scilicet dispensatio; partim quia potestatem illam concedens principaliter & immediatè intendit ejus sibi competenter communicationem: quod principale intentum cum commune aut tertii privati Jus non laetat & ad communitatis bonū & rectā gubernationē ordinatur, favorabile est; licet consequens & privatē personæ bonū spectans Jusq; commune laedens dispensatio sit odiosa. Partim verò; quia dispensatio exercitium etiā est dispensandi potestatis Ordinariæ: quæ tamen, quod bonum communitatis immediatè spectet, favorabilis est. Cùm ergo bonum communitatis etiam spectet dispensandi facultas pro communitate Delega, et

legata, ista quoque favorabilis erit. Di-  
co, *Pro communitate.*

- 376.** *tas dispensandi cum expressa persona par-*  
*ticulari; cum enim talis facultatis con-*  
*cessio moraliter dispensatio sit ipsius su-*  
*perioris, à quo decernitur, & illius de-*  
*cresce ferè sola executio istiusque modus*  
*committatur; ut, si preces veritate ni-*

*tantur, nequeat denegari: & non commu-*  
*nitatis, sed privatae personæ bonum im-*  
*mediatè spectet, mirum non est, quòd*  
*tanquam odiosa exigat interpretationem*  
*strictam, licet dispensandi facultas, nul-*  
*lā persona expresa & generaliter con-*  
*cessa, latam patiatur, cit, Sanchez n. 6.*  
*Suarez Lib. 6. de LL. cap. 17. à n. 5. &*  
*Palao Tract. 3. disp. 4. p. 11. n. 5.*



## TITVLVS III.

### De Rescriptis.



Onstitutionib⁹ affinia sunt Re-  
scripta; nam etiam hæc, li-  
cet neque Generalia, neque  
totius alicujus Communisatis  
Jura sint, legem tamen faciunt iis sal-  
tem negotiis ac personis, pro quibus e-  
dita fuerunt, Felinus *ad hanc Rubr.* n. 1.

### ARTICULUS. I.

#### De natura & varieta- te Rescriptorum.

#### S U M M A R I U M.

1. *Rescripti etymon, definitio,*
2. *Et differentia à vive vocis Oracula,*  
*& Epistola Decretali.*
3. *Concedi rescripta possunt contra Jus,*  
*cum clausula huic derogante.*
4. *Alia sunt Justitia, alia Gratia,*
5. *Et alia Mixta.*
6. *Aliquando Motu proprio, aliquando*  
*ad instantiam conceduntur.*
7. *Quadam eorum Brevia nucupantur.*

8. *Litera etiam Beneficiales quadam di-*  
*cuntur Justitia,*
9. *Et alia Gratia:*
10. *Quarum aliqua in forma Gratiolas.*
11. *Alia in forma Dignum expediuntur.*
12. *Quadam Si alter, Si neutri vel Si*  
*nulli:*
13. *Alia Rationi congruit &c. vocantur.*

**R** Escriptum, sic dictum à Re-  
scribendo sive respondendo, I.  
Gonzalez in c. Ceterū 3. n.  
4. & generatim sumptum est Constitu-  
tio per epistolam specialis, sive respon-  
sum à Papa, Imperatore aliōve, Principe  
vel magistratu, præfertim supremo,  
ad alicujus supplicationem in scripto da-  
tum, l. 1. §. 1. ff. de Appellat. Panormit.  
*ad hanc Rubr.* n. 2. ubi Vallensis §. 1.  
n. 1. & Laiman n. 2. secundūm quam,  
à ceteris DD. quoad tensum fere rece-  
ptam explicationem, licet rescriptis ac-  
censenda non sint responsa, quæ vive  
vocis Oracula nuncupantur, & aliqua e-  
tiam Epistola Decretales; quòd illa non  
per scripturam, sed verbō: ista verō  
aliquando ad nullius consultationem, re-  
latio-